


LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY
OF ILLINOIS

871
P8.Ye

The person charging this material is responsible for its return to the library from which it was withdrawn on or before the **Latest Date** stamped below.

Theft, mutilation, and underlining of books are reasons for disciplinary action and may result in dismissal from the University.

UNIVERSITY OF ILLINOIS LIBRARY AT URBANA-CHAMPAIGN

AUG - 6 1973
JUL 1 7 1973
APR 28 1975
MAY 26 1975
JUN 16 1975
JAN 25 1979
DEC 20 1979
OCT 27 1981
JUN 26 1984

L161—O-1096

AD PROPERTII CARMINA
COMMENTARIUS CRITICUS

AD PROPERTII CARMINA COMMENTARIUS CRITICUS.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

P. J. BLOK

LITT. HUM. DOCT., IN FACULTATE LITTER. PROF. ORDIN.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA

HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN UNIVERSITATE LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

PETRUS JOHANNES ENK

Noviomagensis,

DIE XXVII M. MAI MDCCCCXI HORA IV.

ZUTPHANIAE.

APUD W. J. THIEME & Cie

MDCCCCXI.

Typis „Boek- en Steendrukkerij v.h. Morks & Geuze" Dordraci.

871
P8. Ye

UXORI CARISSIMAE.

PRAEFATIO.

Quamquam multum in Propertio edendo explicando emendando sudaverunt viri docti, vix unum poetam Romanum nominare potes de quo critici magis inter se dissentiant, id quod primo adspectu docent editiones inter se comparatae. Baehrensius et Postgatius textum corruptissimum habentes permulta ex coniectura mutaverunt, plurimasque recepere versuum transpositiones, Vahlenus contra et Rothsteinius paucissimas coniecturas in textu posuerunt, atque Phillimorius etiam fortius traditam codicum auctoritatem vindicat. Et profecto verissimum illud Phillimorii „Quot editores, tot Propertii!" Ita fit, ut praestantissimus ille poeta, quem omnes iure meritoque summis extollunt laudibus, magis quam alii scriptores Romani novam flagitet editionem; primum tamen opus est commentario critico, qui singulas quaestiones ad textum Propertii pertinentes accurate, sed ante omnia sine ira et studio perpendat examinetque; nam Rothsteinius, etsi multa collegit ad poetam nostrum melius intelligendum et licet ex eius appendice et adnotationibus videamus, id quod a viro tam docto, quam est Rothsteinius, exspectamus, eum fere omnia quaecumque philologi et Germani et aliarum gentium de Propertio scripserint comperta habere, parum curavit rem criticam; sed praesertim hoc de eius editione observare potes eum corrupta multa doctrina explicare malle quam emendare. Verissime autem iam ante viginti annos magister meus clarissimus Hartman scripsit in libro suo de Horatio Poeta p. 134: „innumeri quidem Propertii loci ita traditi sunt, ut aut nulla ratione intelligi possint, aut eiusmodi requirant explicationem qua

sermoni Latino vis fiat, sed vix ullus eorum est quin de eo exstet aliqua coniectura incerta quidem, sed lepida, elegans, venusta". Qui cum a me petisset ut disputationem criticam scriberem de Propertii carminibus, libentissime opus aggressus non id egi ut quovis pretio nova excogitarem, quae res tam multa inutilia atque falsa protulit, sed ut data opera quaererem quibus correctionibus textui opus esset Propertiano. Qui autem meam qualemcunque commentationem leget, me studuisse videbit, ut quam maxime possem virorum doctorum de Propertio scripta mihi pararem, neque tamen omnes coniecturas commemorare volui, sed eas tantum quae mihi maxime verisimiles videbantur.

Fuit mihi tamen et alius fons uberrimus, ex quo haud scio an plurimum hauserim boni; namque magister meus aestimatissimus, qua est summa humanitate, utendas mihi dedit doctissimas suas ad Propertium adnotationes criticas, quas nondum publici iuris fecit.

Fundamentum autem mihi fuit editio Phillimoriana, quae sola apparatum criticum affert; Baehrensii enim editio ab iis codicibus proficiscitur, quos hodie nemo iam primum locum obtinere credit.

De codicibus quid sentiam breviter tantum monebo, cum ipsa disputatio singulos locos tractet.

Neapolitanum optimum ducem habeo, sed sic, ut codicum AFDV praesidium compluribus locis non spernam; ceterum nostra facimus ea, quae Phillimorius dixit in praefatione editionis: „res nimium incerta visa quam ut stemmata codicum conflaremus, cum unum N ceteris universis pluris faciendum esse liqueret". In codicibus nominandis eadem sigla quae Phillimorius adhibuimus:

N: codex Neapolitanus.
A: „ Vossianus.
F: „ Florentinus.
L: „ Holkhamicus.
D: „ Daventriensis.
N: „ Ottoboniano-Vaticanus.

O: codicum consensus	N F A D V ab initio	ad II 1,63
	N F D V „ II, I, 63	„ II XXI, 3
	N F L D V „ II, XXI, 3 „	ad finem

N[1] F[1] L[1] D[1] V[1] primae manus scriptura quam eadem manus post mutavit.

N F L D V: altera manus in his codicibus, cum in margine tum ad textum corrigendum adhibita.

C: codex Casanatensis.

Omnibus autem locis, ubi nihil adnotavi, me textum a Phillimorio constitutum probare vix est quod moneam, non tamen solius editionis Phillimorianae rationem habui, sed ubique prae manibus erant editiones Baehrensii Muelleri Vahleni (ed. sexta) Palmeri Postgatii (Lond. Bell. et fil. 1894) Rothsteinii.

AJPh	=	American Journal of Philology.
BphW.	=	Berliner Philologische Wochenschrift.
CR.	=	Classical Review.
H.	=	Hermes.
Ha.	=	Hermathena.
JPh.	=	Journal of Philology.
Mn.	=	Mnemosyne.
Mon.Pr.A.	=	Monatsberichte der Kön. Preuss. Akad. d. Wissensch. zu Berlin.
Rcr.	=	Revue critique.
Rev.Ph.	=	Revue de Philologie.
RhMPh.	=	Rheinisches Museum f. Philologie.
SPrA	=	Sitzungsberichte d. Kön. Preuss. Akad. d. Wissensch.
WklPh.	=	Wochenschr. f. klass. Philol.
ZöGy.	=	Zeitschrift f. d. Osterreich. Gymnas.

Frigell	:	Propertii elegiae duodecim Suecicis versibus expr. adnot. instr. A. Frigell.
Kühlewein	:	Festgruss Dr. H. Heerwagen p. 1—17.
Luc.	:	Lucubrationes Propertianae scr. Rossberg.
Moriz H.	:	Moriz Haupt von Chr. Belger.
Peiper	:	Quaestiones Propertianae, 1879.
Risberg	:	Emendationes et explicationes Propertianae.
Schippers	:	Observationes criticae in Propertii librum quartum, 1818.
SR^4.	:	Serta Romana ed. Woltjer, edit. quarta.

LIBER PRIMUS.

ELEGIA I.

3. Primus versus, in quo viri docti inde a Burmanni aetate haeserunt, ab Housmano (Journ. of Phil. XVI p. 17) bene explicatus nullum dubitationi locum relinquit, omnesque coniecturas et contortas explicationes Hertzbergii et aliorum missas facere possumus; nihil enim significat constantis lumina fastus nisi constanter fastosa; fastus genetivus est qualitatis.

5. De inutili Fonteinii et Baehrensii coniectura cunctas pro castas post eiusdem Housmani doctam et acutam disputationem nihil amplius dicam. Recte Lachmannus (ed. 1816 praef. p. XXIV) confert II 24. 9: quare ne tibi sit mirum me quaerere viles, nam odisse castas prorsus idem est atque quaerere viles, i. e. meretrices, quam opinionem Rothsteinius exemplis bene defendit.

11. nam modo Partheniis amens errabat in antris,
    ibat et hirsutas ille videre feras;
ille etiam Hylaei percussus vulnere rami
    saucius Arcadiis rupibus ingemuit.

Qui Housmani [1]) de his versibus ingeniosam disputationem legit, non potest facere quin accurate iterum locum examinet singulaque perpendat; accedit, ut Postgatius quoque eam veram duxerit [2]).

---

1) JPh. XVI, p. 19 sqq.

2) Postgatius tamen hac in re ab Housmano differt, quod lacunam statuit inter versus 12 et 13.

(vid. eius edit., quae anno 1894 prodiit). Housmanus autem contendit lacunam esse duorum versuum inter versus 11 et 12, idque duas ob causas:

1⁰. quia post adverbium modo (vs. 10) alterum modo exspectat:

2⁰. ex comparatione loci Ovidiani. Sunt versus ex Arte amandi II, 185—192, quos hic citabo:

quid fuit asperius Nonacrina Atalanta?
    succubuit meritis trux tamen illa viri:
saepe suos casus nec mitia facta puellae
    flesse sub arboribus Milaniona ferunt,
saepe tulit iusso fallacia retia collo,
    saepe fera torvos cuspide fixit apros,
sensit et Hylaei contentum saucius arcum;
    sed tamen hoc arcu notior alter erat.

Contra prius argumentum licet observare tribus modis poetam adverbium modo expressisse, primum adverbio modo, deinde coniunctione et (= etiam), postremum coniunctione etiam. Negat tamen Housmanus duas res tam diversas: amens errabat et agitare feras — scribit enim ex Palmeri Dublinensis coniectura: ibat et hirsutas comminus ille feras — coniunctione et recte coniungi. „12 in Propertius has the same theme as 189 and 190 in Ovid, the hard work of the chase at Atalanta's side. But in Ovid the two things are duly discriminated as happening one at one time, the other at another; to read Propertius you would fancy both happened at once". Interpretatio Housmani et Rothsteinii, qui et idem esse quod etiam negant hius incommodi causa est.

Antequam autem de altero argumento Housmani dicam, pauca de interpretatione versus duodecimi observare velim, quam Otto (Hermes 23 p. 22) et Kraffert (Beiträge zur Kritik und Erklärung latein. Aut. p. 139) proposuerunt. Otto sic scribit: Die zahlreichen Stellen, welche Lachmann zum Beweise dafür anführte, dass videre auch die Bedeutung von adire haben könne,

haben nicht verhindern können, dasz zu den alten Conjecturen noch neue hinzugekommen sind, und dies ist leicht begreiflich, weil alle Erklärer, auch Lachmann selbst, in dem Wahne befangen waren, Milanion müsse die Atalante auf die Jagd begleitet haben und deshalb das Verbum videre einen dahingehenden Begriff enthalten. Nun ist dies aber die Absicht des Dichters keineswegs. Nicht um zu jagen irrt Milanion in den öden Wäldern und Klüften Arkadias umher, sondern um dort in der Einsamkeit sein Liebesleid auszutoben und Linderung seiner Schmerzen zu suchen..... Der Liebeswahn und der brennende Schmerz lassen Milanion die Furcht vor dem Anblick und den Begegnung der wilden Thiere vergessen.

Verbum videndi hac explicatione minime defendi quivis videbit. Eadem fere tamen apud Rothsteinuim legimus. Kraffertius haec habet: dass man in den Wald geht um Tiere zu sehen, ist auffallend, und so hat man videre in ferire emendieren wollen, ganz umsonst, da diese Aenderung den bei unsern Dichter allerdings seltenen Humor verkennt, welcher darin liegt, dass der verliebte Milanion, der nur seiner Schönen wegen auf die Jagd geht, statt Thiere zu erlegen, sie laufen lässt.

De industria utriusque verba exscripsi, ita ut quisque iudicare iam possit, num talibus explicationibus difficultas tollatur. Minime, credo. Potest tamen aliquid excogitari, quo videre latine bene dictum videatur. Videre tum visere [1]) interpretandum est, cf. Cic. ad Att. 37: Quare etiam Ottonem vide.

Plin. Ep. 1. 5 Rogo mane videas Plinium domi.

Latinitas quidem prorsus non reprehendi possit, sed iocus ab hoc loco alienus est. Quid igitur? Vides, quocumque te vertas, difficultatem manere. Praeterea ex loco Ovidii supra laudato luce clarius apparet Nasonem apud nostrum aliquid legisse, quod moverit eum, ut de venatione [2]) cogitaret.

---

[1]) Sic Phillimore (Tr.): he would go visiting the shaggy beasts of the wilderness.

[2]) sic quoque melius intelligimus: nullos fugiendo .... labores.

Ex coniecturis autem mihi maxime placet ea, quam A. Palmer, vir ille acutissimus, invenit:

ibat et hirsutas comminus ille feras. [1])

Quomodo vitium natum sit, apud Housmanum [2]) relegas.

Redeo nunc ad secundum argumentum Housmani, quo fretus contendit aliquid deesse nostro loco. Primo aspectu hoc argumentum paulo gravius est, nam

saepe tulit iusso fallacia retia collo

nihil habet apud Propertium, cui respondeat.

Sed Ovidius semper verbosior est quam Propertius; quod hic uno verbo attingit, Ovidius in longius extrahit. Sic nostro loco non dubium est, quin

saepe suos casus nec mitia facta puellae
    flesse sub arboribus Milaniona ferunt

imitatio sit versus undecimi apud nostrum. (Antrum enim apud Propertium nemus significare Rothsteinius docuit) Quod si verum est,

saepe tulit iusso fallacia retia collo,
    saepe fera torvos cuspide fixit apros

reddunt: ibat et hirsutas comminus ille feras; primum versum Ovidius ipse composuit, ut et supra unum versum Propertii duobus versibus expressit. Hoc qui nolunt concedere, iis ad coniecturam confugiendum est olim etiam apud Propertium sermonem fuisse de retibus, quae cervice ferebat Milanion. Lacunam autem si statuimus, duos versus intercidisse necesse est. In his duobus versibus aut de retibus tantum sermo fuit, aut etiam aliud poeta narravit. Aut igitur Propertius verbosior fuit quam Naso, quod non facile crediderim, aut Ovidius locum parum accurate reddidit. Tunc autem meo iure rogo, cur omissum versum ab Ovidio sumere liceat, additum non liceat.

---

[1]) cf. Ov. Fast. V. 176.

[2]) JPh. XVI, p. 22 59.

Housmani supplementum, quod exempli causa dedisse eum intelligo, exemplo sit:

11. Nam modo Partheniis amens errabat in antris

11a. (multaque desertis fleverat arboribus

11b. et modo submissa casses cervice ferebat)

12. ibat et hirsutas eqs.

Ovidius aut 11 aut 11a non reddidit.

Nihil igitur deesse contra Housmanum et Postgatium defendo.

13. De Volsci certissima emendatione *Hylaei* pro *psilli*, utpote a fere omnibus recepta nihil opus est dicere (cf. Housm. Journ. of Phil. XVI p. 23).

13. Lachmannus demonstravit *percussus vulnere rami* bene Latine dici. Housmanus tamen contendit rationem habendam esse lectionis *arbore*, quam legimus in AF, deinde confert Ov. Met. IV. 727, ubi codices *vulnerat* et *verberat* dant, creditque nostro loco cum Baehrensio *verbere*[1]), quod corruptum sit in *arbore*, esse corrigendum. Ego cum Solbiskyo (p. 153) *arbore* pro glossemate habere malo.

16. Mihi [2]) verisimile videtur Fonteinium iure versum sic emendasse:

tantum in amore *fides* et benefacta valent.

cf. Prop. 2. 26. 27:

multum in amore fides, multum constantia prodest.

De *precibus* nihil legimus.

19. at vos, deductae quibus est fallacia lunae

et labor in magicis sacra piare focis

Hi versus multum torserunt viros doctos. Housmanus (JPh. XVI, p. 25), qui fuse de hoc loco egit, non ignorat *deductae*

---

[1]) Rossberg (Neue Jahrb. Fleckeis. 1883 p. 67): robore.

[2]) cf. Housm. JPh. XVI p. 23. 24.

quibus est fallacia lunae salva Latinitate verti posse: „the false pretence of bringing down the moon", sed ex eo, quod statim addit, „a sense peremptorily forbidden by the context", apparet virum doctissimum sensum totius loci non capere. Fere in eundem modum Lucianus Muellerus (Pr. p. XVIII) sententiam suam iam antea pronuntiarat: „Propertius tam ineptus esset, ut ab eis auxilium speraret, quos impostores esse et crederet ipse et aperte diceret"? Quam ob rem Housmanus pro fallacia [1]) Fruterii coniecturam pellacia commendavit, Muellerus fiduciam excogitavit.

Melius utroque Rothsteinius in commentario explicat: „die Lage des Dichters ist so traurig, dass er gezwungen ist sich nach Hilfe umzusehen, und es ist charakteristisch, dass er zu Mitteln greift, zu denen er selbst kein Vertrauen hat; das ist durch fallacia deutlich bezeichnet."

Eo tempore poetam revera res magicas non magni fecisse docet versus 21:

en agedum dominae mentem convertite nostrae:

en agedum hoc loco eius est, qui magicos cum eorum arte deridet nihilique facit, cf. etiam II, 4, 15:

nam cui non ego sum fallaci praemia vati?

Ironice, ut ita dicam, fellis plenus loquitur.

Nisi enim sciret nunquam puellam suam, ut se amaret adductum ire, quid terrarum eum moveret, ut statim mentem mutaret speraretque amicos se in alias regiones longe a Cynthia laturos esse? Hoc tamen profitetur versibus sequentibus, ubi de se ut de lapso loquitur, quem sero revocant amici. In transitu observo prave a nonnullis viris doctis Paleyo Palmero Rothsteinio Phillimorio Hemsterhusii [2]) coniecturam aut pro et scribentis esse spretam. Eius verba haec sunt: „in facili erit animadvertere, duo poni a poeta nostro, quae cum utraque simul consistere

[1]) Kühlewein, p. 1.: sollertia.

[2]) In Burmanni secundi editione p. 922.

nequeant, alterutrum ut sibi succedat precatur: primum vos, magae, Cynthiae mentem convertite: alterum si incantationibus Cynthia non cedat:

aut vos . . . . . . amici
quaerite non sani pectoris auxilia".

Venio nunc ad alteram nostri distichi difficultatem, quidnam significet sacra piare. Primum nobis aliquid dicendum est de opinione eorum, qui sacra manes significare putant. Hanc enim interpretationem a Dousa inventam repetivit Woltjerus nostras in libro, qui inscribitur: Serta Romana p. 112, non tamen de nostro loco, sed de versu primo libri tertii agens. Dousa, quem sequitur Broukhusius, duos locos citat ad suam opinionem defendendam:

Suet. Nero, C. 34: quin et facto per Magos sacro evocare Manes, et exorare tentavit

Prop. III. 1. 1: Callimachi Manes et Coi sacra Philetae.

In neutro tamen loco quicquam auxilii est. Quod intelligens Housmanus Fonteinium secutus contendit et nostro loco et III. 1. 1 „Coi sacra Philetae" sacra esse corruptum ex fata; mihi tamen non verisimile videtur duobus locis longe inter se distantibus forte quadam in eodem vocabulo prorsus eodem modo peccatum esse a librariis; deinde nusquam — nam Horatii locus [1]) alio modo explicari potest, Melae locus solus non sufficit ad tam rarum usum vocis fata apud poetas huius aetatis defendendum — vocem sacra tali sensu adhibitum videmus. Quid ergo? Sanam esse vocem cum multis credo, nondum tamen satis explicatam. Citabo aliquot explicationes eorum qui textum traditum defendunt: Paley: piare = ἁγνίζειν, καθαγίζειν. Haupt: (Moriz H, von Christ. Belger, p. 91) piare = piando sacra facere; Rothstein = piaculum piare. Libenter credo multis non persuasum esse piare sacra

[1]) Carm: I: 24: 15.

recte se habere. Cum nostro loco comparandum est fragmentum C. Julii Caesaris Strabonis ex Adrasto (Trag. Rom. fr. Ribbeck, p. 227):

cum capita viridi lauro velare imperant
prophetae sancti, casta qui purant sacra.

Hi loci inter se defendunt: pius et purus eandem habent originem.

Luciano Muellero neganti sacra piare defendi posse cum alii sacerdotes non minus quam magi illi sacrificiis redditis deos placare sint soliti optime respondet A. Frigell (p. 14): „hic vero non omnino de sacrificiis reddendis agitur, sed de sacris in magicis focis piandis, quod quidem veneficarum erat" [1]).

24. posse Cythalinis ducere carminibus.

Sic pentameter legitur in N. Lachmannus cum Guyeto: Cytaeaeis; *Κυταιαῖος* a *Κυταία* potest duci, ut *Αἰαῖος* ab *Αἶα*; Medea tunc significatur, cf. II. 4. 7 non hic herba valet, non hic nocturna Cytaeis [2]); Rothsteinius: Cytaeines, qui confert: *ἡρωΐνη* et *ἡρωίς*. Ego Hertzbergii coniecturam probo Cytinaeis cf. Steph. Byz.: *Κύτινα· πόλις Θεσσαλίας, ὡς Θέων ἐν ὑπομνήμασι Λυκόφρονος· ὁ πολίτης Κυτιναῖος.*

Hanc emendationem egregie confirmat carmen 24 libri tertii, quod nostrum respicit:

quod mihi non patrii poterant avertere amici
eluere aut vasto Thessala saga mari.

Quomodo ortum sit vitium, optime exponit Housmanus (JPh. XVI, p. 30 sq.).

33. in me nostra Venus noctes exercet amaras.

Postgatius (Select El. p. 51) in hoc loco haeret, scribit enim haec: The edd. (Baehrens excepted) do not seem to have grasped the difficulty of the MS. reading. It must mean 1: My love plies

---

1) Carere igitur possumus Ungeri coniectura: astra piare.

2) *Κυταιίς* reperitur apud Apoll. Rhod. II, 399.

bitter nights, as a weapon, against me, an unexampled use of exercet or 2: in my case my love passes bitter nights, a tautology not excused by III. 24. 25: de te nostras me laedit ad aures. Deinde coniecit voces. Alii nostra corruptum habentes aliud excogitavere: Francius dura, Baehrens maesta, Palmer (CR. II, p. 38) monstra, Richards (CR. XIII, p. 15) vestra; Paley (JPh. XVI, p. 183), qui totum versum sic legere vult:

in me nostra Venus leges exercet amaras,

nostra explicat: mea et Cynthiae; Housman (JPh. XVI p. 33.) me non nostra.

Ad priorem versionem defendendam Postgatius citat Petron. 94: quem animum adversus Ascyltum sumpseram eum in Eumolpi sanguinem exercuissem.

Plaut. Amph. 1. 1. 171: gestiunt pugni mei. So. si in me exerciturus's quaeso in parietem ut primum domes.

Sall. Jug. 16. 2: consul acerrime victoriam nobilitatis in plebem exercuerat.

Ipse tamen vir doctissimus profitetur nullos locos repiriri posse nostro plane similes, eos, quos citarit, proximos esse.

Mihi lectio manuscriptorum sana esse videtur.

Quod personarum numeri inter se differunt, non est cur lectioni traditae diffidamus, cf. III, 16, 1; nostra Venus = amor, qui me cepit.

Quod attinet ad exercere amaras noctes in aliquem, comparare licet: scelus, libidinem, avaritiam exercere in socios (Liv. 29, 17, 13). Burmannus ad Petronii locum laudatum cum nostro versu comparat Corn. Nep. Hannib. 10, 7: apud quem eodem animo fuit erga Italiam neque aliud quicquam egit quam regem armavit et exercuit (Cobet: exacuit) adversus Romanos i. e. rege illo tanquam instrumento quo Romanis noceret usus est. Si Nepotis hic locus bene traditus est, defendet optime usum allegoricum verbi exercendi noctes.

36. .... neque assueto mutet amore locum.
Rothsteinius, ut locum defendat, ex assueto amore supplet genetivum amoris: neque mutet locum amoris; languide; cum Ottone (BphW. 1884, 9) lege: torum cf. 4, 8, 28.

ELEGIA II.

7. Iniuria Phillimorius sprevit lectionem:
non ulla tuae eqs., quam habent DV.

9. aspice, quos summittat humus formosa colores.
Quod versu 9 formosa et versu formosius parvo intervallo repetitur, multos viros doctos offendit.
Pro formosa Heinsius nemorosa, Keilius muscosa, Suringarus et Baehrensius dumosa [1]), Sandstroemius non iussa, Wakefieldius non vorsa, Rossbergius non mota, Housmanus morosa coniecerunt; pro formosior Bentleius frondosior, Lachmannus felicius excogitaverunt.
Sed num mirum est in carmine, quod de forma agit, vocabula forma, formosus saepius inveniri? Sonorum enim similitudinem minime vitarunt veteres. [2])

10. Hoc versu levis quaestio editores dividit, utrum scribendum sit ut veniant ex correctione Italorum, an et veniant cum O. Et assumsere Vahlenus et Rothsteinius qui praeterea versu 9 quo legit. Vereor tamen, ne quo et melius sic nimis longe inter se distent.

13. Litora nativis persuadent picta lapillis
Persuadent iam ab Italis corruptum habitum est. Vahlenus

---

[1]) Hoc recepit Woltjer (S. R^4. p. 105).

[2]) cf.: I, 4, 5, 7; II, 15, 24, 26; III, 8, 18, 19; III, 10, 16, 18; III, 11, 16, 17; III, 11, 19, 21, qui loci a Vahleno adlati sunt: Index lect. univ. Berol. hib. 1886/87, p. 10 sq.

(Mon. PrA p. 340 sq.) persuadent in hunc modum explicat: litora persuadent se nativis picta esse lapillis. Hic sensus in contextu minus aptus videtur. Rothsteinius interpretatur: litora nativis lapillis picta persuadent dulcius quam arte aedificata. Sed primum durissimum est dulcius ex sequenti versu supplere, deinde verbum persuadendi nude positum obstat, quominus cum illo vertamus: der Strand ladet [1]) zu längeren Aufenthalt und behaglichen Ruhe. In locis quos ad opinionem suam defendendam citat equidem nullum praesidium reperio; nam apud Terentium (Ad. 470) quid supplendum sit, contextus docet; in Vergili ecloga 1.55:

saepe levi somnum suadebit inire susurro,

ipsum verbum inire additur.

Pro persuadent Itali: collucent [2]), Scaliger: per se dent, Heinsius: perrident, Hertzbergius: praelucent, Sandstroemius: corrident, Housmanus: superant depicta lapillis, Paleyus: persqualent, Baehrensius: praefulgent coniecere. Ultima haec coniectura, quae v. cl. Hartman placet, mihi quoque vera videtur.

23. Hunc versum Housmanus sic (JPh. XXII p. 55) refingere vult:

Non illis studium fulgore anquirere amantes

quoniam AF aquirere legunt. Vulgo recte se habet, cf. versum 25, ubi istis de illis amantibus cum contemptu dictum est, et Ter. haut. 446.

24. Cave, ne forma cum Baehrensio in fama mutes, cf. Rothsteinium.

25. De hoc versu conferenda est optima Lachmanni interpretatio.

---

[1]) Eodem modo Woltjerus (S. R[4]. 105): persuadent = invitant, alliciunt, conferens: Ov. Am. II. 11. 14.

[2]) Sic quoque Chatelain (Rcr. 1879. 18.), cf. Ov. Fast. V, 363: collucent floribus agri.

29. Unica nec desit iucundis gratia verbis

Verbis: AFN; dictis: DV.

Housmanus (JPH. XXI, 168) collato Ov. Met. XIII, 127:

neque abest facundis gratia dictis

lectionem DV veram ducit; difficillima optio, sed tutius est ceteris praestantem Neapolitanum sequi, praesertim cum verba Propertius in deliciis habeat, dicta autem uno tanto loco legamus, ubi de scriptis verbis sermo est (IV. 1.61: Ennius hirsuta cingat sua dicta corona).

ELEGIA III.

16. Osculaque admota sumere et arma manu.

Hunc versum, in quo ante Lachmannum multi viri docti haeserunt propter et arma, ille sic interpretatus est: „Arma sumere, quod militum est, ad Venereum hoc bellum Propertius transtulit. Amor mihi, inquit, et Bacchus suadebant, ut iacentem puellam submisso lacerto leviter tentarem, oscula sumerem, admoto corpori manu me ad hoc dulce bellum pararem".

Comparat autem ex nostro III, 20, 19:

quam multae ante meis cedent sermonibus horae,
dulcia quam nobis concitat arma Venus.

Sed hic locus et noster multum inter se differunt, nam loco a Lachmanno citato, quid illud arma dulcia concitare sibi velit, statim intelliget qui belli atque militiae Veneris non plane imperitus est; obsceni praeterea in illo loco nihil inest, de nostro vero loco verissime observat Bellingius (WklPh., 1895, p. 1143): „(Lachmanns) arma sumere ist nicht konkret genug um in diesen anschaulichen Zusammenhang zu passen".

Sed alia quoque causa est cur versum ea forma qua traditus sit ab ipso poeta scriptum esse non facile credam. Verba admota manu cum arma sumere coniuncta tam ambigue

atque foede dicta sunt, ut paene intelligere possimus antiquos illos philologos de quibus apud Burmannum legimus arma hic telum esse putasse. Quis tamen non sentit in hunc tenerrimum locum nullam quadrare nisi osculorum mentionem. Accedit praeterea ut admota manu sic nude positum satis obscurum sit.

Qui me disputantem secutus erit, intelliget nihil hoc loco iuvare nos coniecturas, quales rapta, carpta (Heinsius), cara (Kochius), grata (Rossbergius), avara (Baehrensius), inerma (Risbergius). Omnes difficultates tollit Gronovii coniectura ad ora, quae Hartmano quoque vera videtur.

27. Hoc versu Palmerum Phillimorium Rothsteinium duxit in textu ponere spreta lenissima atque necessaria coniectura Italorum duxti valde miror. De secunda persona (vs. 22) sine ulla causa ad tertiam (vs. 27), deinde rursus ad secundam transire balbutientis est. Cum forma contracta duxti confer: I. 3. 37: consumpsti.

31. donec diversas praecurrens luna fenestras

praecurrens: N; percurrens: DV.

Praecurrens, praetercurrens, quamquam in lexicis non reperitur, comparatis praevehor, praegredior, praefluo defendi potest receptumque est a Baehrensio Housmano (JPh. XXII, p. 91), Postgatio (in editione 1894) Phillimorio Rothsteinio. Sed suo iure annotat Frigellius (p. 15) „at intrasse per fenestras lunam iam in sequentibus satis docetur, utpote cuius radiis oculos ferientibus expergefacta e somna Cynthia narratur".

Praefero igitur cum illo et Vahleno id quod in DV invenimus: percurrens. Nostram opinionem confirmare videtur notissimus locus Vergilii III: 152: qua se

plena per insertas fundebat luna fenestras.

39. o utinam talis perducas, improbe, noctes

Perducas, quae omnium codicum lectio est, Lachmannus Muellerus Vahlenus Palmerus Baehrensius cum editione Gryphiana a. 1551 in producas mutant.

Sed perducere optime habet; significat enim: ad finem usque ducere, explere, conficere, duriter molesteque agere (sic recte Frigellius p. 16). Editores autem te Broukhusium tuum evolvere iubent; examinemus igitur locos ab eo collatos: Ter. Ad. 591 (ed. Dziatzko) .... cyathos sorbilans paulatim hunc producam diem.

Hoc loco producere est usum rei supra terminum quendam fruendi causa extendere (Frigellius); et sic Ruhnkenius (Dictata in Ter. com. cur. Schopen p. 198) locum explicat: diem quam potero longum faciam.

Statius, Theb. VIII, 218: at non Sidoniam diversa in parte per urbem
nox eadem: vario producunt sidera ludo
ante domos intraque,

hoc est, inquit scholiastes Barthii, noctem extendunt, siderum tempus student prolongare eqs.

Jdem significat producendi verbum: Fest. Avien. descr. orbis: 752:

hic chorus ingens
feminei coetus pulchri colit orgia Bacchi:
producit noctem ludus sacer.

Eodem modo explicandi hi loci Horatiani:

Od. 3. 21, 23 te Liber et si laeta aderit Venus
segnesque nodum solvere Gratiae
vivaeque producent lucernae,
dum rediens fugat astra Phoebus.

et sat. I, 5, 70: prorsus iucunde cenam producimus illam

et hic locus ex Lucano 10:

postquam epulis Bacchoque modum lassata voluptas
imposuit, longis Caesar producere noctem
inchoat alloquiis.

nec non hi loci Ciceroniani:

Cat. m. 14. 46: convivium ad multam noctem producimus

Somn. Sc. C. 10: sermonem in multam noctem produximus.

Nullus igitur horum locorum cum nostro comparari potest; duos tamen locos citat, quos ego a ceteris segregavi:

Catull. 109, 5: ut liceat nobis tota producere vita
aeternum hoc sanctae foedus amicitiae,

sed hoc loco codices perducere legunt, quod recte tuetur Merillius in sua editione (Ginn and Comp.)

Tib. 1, 4. 5 nudus et hibernae producis frigora brumae. Hic locus, nisi perducis est corrigendum, quod malit Frigellius, demonstrat nostro loco producere legi posse, sed exemplorum copia examinata apparet recte Hertzbergium statuisse: producere noctem idem esse atque longiorem reddere noctem aut usum noctis vigilando extendere quod hic aptum sensum non praebet. Perducere **ad finem usque i. e. ad mane vigilare** hic flagitari docent verba: exactis ... sideribus (v. 38).

43. Iniuria Solbiskyus [1] (De Codic. Prop. p. 184) graviter, quod est in DV, defendere conatus est: nam primum non recte negat leviter significare posse suppressa voce (vid. Rothsteinii annotationem), deinde *ἀπειροκάλως* poeta puellam suam ut anum iratam graviter querentem finxisset. Leviter autem dicit puella, ut poetae misericordiam excitet.

45. ultima cura a criticorum coniecturis bene defendit Rothsteinius, quocum ego quoque sto.

---

[1] cf. Housm. JPh. XXI, p. 182.

ELEGIA IV.

1. Versu septimo multi corruptum habuerunt formosi temporis aetas. Inter coniecturas sola Baehrensii famosi temporis aetas placet; aliorum inventa partim vix Latine dici, partim ne intelligi quidem posse videntur. Formosa aetas tamen non audacius dictum est quam aurea aetas.

8. Versu octavo non sinet [1]) legendum est quod manus recentior codicis V mutavit, sed sinat, quod exhibent O. Requiritur enim potentialis: Bassus Propertio suasit ut Cynthiam deserat, non tamen Antiopam Hermionam quas mythologia nominat laudando, sed ipsius poetae aetatis puellas.

14. Versu 14 Rothsteinius lectionem traditam dicere defendere conatus est collato sextae huius primi libri elegiae versu 7: illa mihi totis argutat noctibus ignes quod falso eum explicavisse mihi quidem persuasum est. E contextu enim patet hoc loco sic esse vertendum: obiicit mihi suum in me amorem. Nostrae elegiae loco gaudia dicere „Liebesworte sprechen" significare posse neque ex locis quos citat Rothsteinius efficitur neque salva lingua unquam quisquam sic locutus est. Reponendum igitur est cum fere omnibus editoribus inter quos Lachmannus et Vahlenus gaudia ducere, quod ex Prudentio citat Burmannus (contra Symmach. 239):

gaudia ducunt festa Kalendarum.

Etiam in voce veste [2]) viros doctos haesisse magnopere miror; stragulam lecti vult poeta. Baehrensii observationem

---

[1]) sic Postgatius in editione 1894.

[2]) mente coniecit Marklandus, quod recepit Baehrensius.

gaudia venerea[1]) hic, ubi post vs. 11 de solis animi dotibus agatur, commemorari prorsus absonum esse nihili facio. v. 13 enim ingenuus color non facile inter animi dotes haberi potest. Tacita autem, quod vocabulum Propertius in deliciis, habet optime defendit Rothsteinius.

16. hoc magis accepta fallit uterque fide equidem defendam; explicationem Rothsteinii qua accepta annehmbar vertit ab hoc loco alienam puto. Totum locum sic intelligo: „quo magis conaris nostrum amorem dirimere, eo magis ambo tuos frustramur conatus, fide reciproca, i.e. cum alter alterius fidem acceperit quam praestare officium ducit".
Si in hunc modum interpretamur, Postgatii coniectura astricta, quae primo aspectu vera videtur, carere possumus.

23. Nullas illa suis contemnet fletibus aras
et quicumque sacer, qualis ubique, lapis.

Hoefftius pro et versu 24 nec legere voluit, quod Postgatio quoque placuit (vid. editionem eius 1894); sed recte putat Rothsteinius nullas aras contemnet idem significare atque omnes aras precibus adibit, et sic recte sequitur et. Conferri potest I. 2. 29:

unica nec desit (= adsit) incundis gratia verbis
omnia quaeque Venus quaeque Minerva probat.

Ad hunc locum alia quoque exempla huius usus dat, quae tamen a nostro loco aliena duco: cf. quae ad I. 16. 11, IV. 1. 17 annotavimus.

25. non ullo gravius temptatur Cynthia damno,
quam sibi cum rapto cessat amore deus

[1]) Epistulam Sapphus (31—50) easdem quattuor res eodem ordine enumerare: formam, faciem, artes, opus Amoris recte observat Risbergius (p. 3). Supervacuae igitur coniecturae sunt: calor (Jacobus) pro color; ingenium celere (Richards, CR. XIII, p. 15) pro ingenuus color; cf. Petron. ep. 47. 7 Buech.

Pro deus Kraffertius (p. 140) decus coniecit (da fur eine Cynthia ihre Liebe ihr Stolz ist), quod Postgatius in textum assumpsit collato Stat. Silv. III, 5. 69:

Nonne leves pueros, non te, Cytherea, pudebat
hoc cessare decus.

Vulgata tamen sana est meliorque quam lectio proposita: decus nimis ambigue dictum; nam quomodo scimus decus hic non formam, florem aetatis, sed gloriam esse vertendum, neque enim apud Statium l.l. gloria significat?

27. praecipue nostri. Non requiritur, quod vertit Rothsteinius die Möglichkeit den Dichter zu lieben: Cynthia misera fit, si eam poeta non iam amat.
Repone igitur cum Italis et Heinsio: nostro.

ELEGIA V.

Quamquam iam multis annis ante (1893) magister meus clarissimus Hartmanus in libello, cui titulus Sylloge commentationum, quam v. cl. Conto obtulerunt philologi Batavi (p. 23) facetissime atque prudentissime disputavit de argumento huius lepidissimae elegiae, viri docti pecorum ritu sequuntur antecedentium gregem, pergentes non quo eundum est, ut ait Seneca, sed quo itur. Hartmani verba sunt haec: „exclusum se a Cynthia poeta dicit. Dum ergo solus domi desidet, tristis maestusque, agnoscit quendam e suis amicis operam dare ut suum apud Cynthiam locum occupet. Et cum dolore agnoscit, nam quamquam a Cynthia est exclusus, tamen de reconciliatione non desperat: immo mox se cum Cynthia in gratiam rediturum habet persuasissimum. Non tamen acerbis maledictis in novum Cynthiae amatorem invehitur, sed de dura, quae misero homini impendeat, sorte lamentatur; misericordia illius commoveri se fingit; obtestatur denique eum, ut quam primum fatalem illum

amorem ex animo suo exstirpet. Poteratne facetius significare se novum illum rivalem minime reformidare, quippe qui probe sibi conscius esset mox nullo negotio a se Cynthiae duritiam victum iri? Sed ea omnia ut lepide excogitata esse dicamus duabus rebus opus est. Primum discidii (veri an falsi non curo) cuiusdam tempore a Propertio scripta haec esse debent. Discidium enim nisi
qui alter in alterius mutua flere sinu (vs. 30) poterit? Tamen nunc amicum suum poeta rogat (vs. 2):

et sine nos cursu, quo sumus, ire pares, i. e. „noli perturbare meum Cynthiaeque amorem; sub aequo nos sine amoris ire iugo; noli inter nos discordias serere conari; vides enim quam pulchre nunc inter nos conveniat".

Deinde omnis carminis venustas perit conciditque nisi ipse Propertius quibusdam indiciis effecit rivalem sibi absenti esse exortum. Nam si homo, ad quem scriptum carmen est, ultro amorem suum Propertio fassus esset, magnae fuisset crudelilatis eum tam longa versuum serie deridere. Tamen versu primo, legimus:

invide, tu tandem voces compesce molestas.

Et quae fuerunt ergo voces illae? Obsecravitne Propertium ut Cynthiam missam faceret sibique relinqueret? Non ergo simplex homo fuit (qualem eum fuisse e cetera elegia facile efficimus), sed plane stolidus stupidusque et indignus qui tam iocoso carmine perstringeretur. An maledicendo et calumniando Propertii mentem a Cynthia abstrahere est conatus? Tam lividum nigrumque hominem tam leniter a poeta castigatum credis, cum praesertim eum antea veritati convenienter invidum appellaverit?"

De industria priorem partem disputationis exscripsi, quia timebam, ne firmissima argumenta dissolverem, si in brevius contraherem. Deinde demonstravit Hartmanus verba quid tibi vis, insane numquam in media allocutione poni.

Mihi vir clarissimus prorsus persuasit primum huius carminis distichon loco, quo servatum sit, ferri non posse.

Quaeritur nunc, unde venerit. Hartmanus versus eiectos quarti

carminis olim initium fuisse credens exordium huius elegiae sic constituit:

Invide, tu tandem voces compesce molestas
et sine nos cursu, quo sumus, ire pares!
quid me non pateris vitae quodcumque sequetur
hoc magis assiduo ducere servitio?

Concedo versus eiectos nostrae elegiae olim quartae fuisse, nam totum hoc carmen est „de homine invido, qui vocibus suis molestis poetae mentem a Cynthia abducere conatur, qui eos cursu quo sunt ire pares non patitur; alias puellas laudat, fore sperans ut sic suam puellam spernere et contemnere poeta discat". Unum tamen mihi minus verisimile videtur, quod vir clarissimus Hartmanus versus 1. 2 quartae elegiae, ut a grammatico ad detruncatum carmen supplendum factos, damnavit. Sic enim periit nomen proprium Bassus; observandum autem est ceteras omnes elegias certam aliquam personam alloqui, cf. quae ad huius libri elegiam duodecimam vs. 2 annotavimus.

Mihi quod nunc est primum distichon elegiae V aptissimam praecedentis carminis efficere clausulam videtur. Postquam enim poeta speravit puellam suam sibi semper fidam fore, ad Bassum revertitur: at tu, invide, desine conari nos inter nos separare; eodem fere mode elegia 7 vs. 25 huius libri repetit aliis verbis, quae antea iam dixit. Sic, quae modo coniectura erat, vix iam coniecturam dicere possumus. Nihil enim transponitur et quonam versu elegiae finiendae sint, non manuscripta rogare debemus: nostri hoc arbitrii est.

3. Hoc versu L. Muellerus Baehrensius Postgatius non recte codicum lectionem: meos sentire furores ex coniectura Hemsterhusii mutaverunt in meae sentire furores. Quid significet pronomen meos hoc versu, nos docet: I, 6, 23:

et tibi non unquam nostros puer iste labores
adferat.

Meos furores sunt furores, quos ego expertus novi. Eodem modo pronomen mea accipiendum est nostrae elegiae v. 13: a, mea contemptus quotiens ad limina curres, ubi mea limina [1]) = a me frequentata, cf. Hartman, sylloge Cont. p. 23.

7. 8. non est illa vagis similis collata puellis:
molliter irasci non solet illa tibi.

Pentameter huius distichi variis modis tentatus est, nequedum consentiunt viri docti. Qui textum traditum integrum esse putant, tibi dativum ethicum [2]) esse annotant; dativum tamen illum in hunc locum quadrare iure negat Hartmanus „cum de re agitur", inquit „quae subito et uno temporis fit momento, iure suum locum obtinet et utillissimus est ad contemptum, indignationen, risum significare; euismodi autem affectus non movet res, quas solet fieri; et omnino non est versus octavi ea sententia in qua dativus ethicus ullo modo ferri possit". Supersedeo omnes citare coniecturas, praesertim cum fuse de iis disputarit Wittigius (Kritische Bem. zu Prop., Programm 707. Dessau). Quam ipse proposuit, pessima videtur: scribit enim:

molliter irasci non solet ulla tibi.

Eius interpretationem totam exscribo: „Die hast sie mit leichtsinnigen Dirnen auf eine Stufe gestellt, glaubst daher ihre Liebe jederzeit gewinnen zu können, doch du täuschest dich: sie ist ihnen nicht in geringsten ähnlich; während sich jene sehr gern neuen Bewerbern gefällig zeigen, erregt dein Werben schon ihren Zorn (haec omnia mente suppleri debent; durissime!) — doch auf dich pflegt überhaupt kein Mädchen gut zu sprechen

[1]) Falsissima igitur Risbergii (p. 4) coniectura: amens, contemptus eqs.

[2]) sic Rothsteinius Iacobo et Paleyo praeeuntibus.

zu sein, deine Bewerbung weisst selbst eine leichtfertige Dirne zurück".

Vides tamen, quam dure pentameter hexametro adiciatur; sed ex huius libri elegia XIII, 5 discimus Gallum multas puellas decepisse, quod abhorret a coniectura proposita.

Mihi [1]) unice verum videtur, quod Itali commenti sunt:

molliter irasci non sciet illa tibi.

Quam coniecturam idem Wittigius hisce argumentis refutare conatur: „abgesehen davon, das leicht der Gedanke hervorgerufen werden kann, als ob die vagae puellae eines heftigen Zornes überhaupt nicht fähig wären (aus diesem Grunde erklärt sich Baehrens gegen diese Änderung), drückt das Futurum den Gedanken nicht scharf genug aus". Sed plerique viri docti non recte intellegunt, quid verba poetae ita correcta sibi velint. Poeta autem haec dicit: Cynthia nescit molliter irasci; molliter (i. e. ita ut videre possis puellas simulare tantum se iratas esse) irasci autem callent vagae puellae. Futurum optime explicatur, si intelligimus sententiam ex hisce duabus constare: non molliter tibi irascetur, si eam tentabis et artis molliter irascendi imperita est.

9. quod si forte ruis non est contraria nostris

Sic versus legitur in O; sed manus recentior in N correxit: tuis .... votis. Hanc correctionem meram esse coniecturam docet Birtius (Rh M Ph, 64 p. 105); votis igitur non maiorem auctoritatem habet quam verbis quod coniecit vir doctus Wittig (l.l. p. 4); votis tamen praefero, cum propius absit a litterarum ductibus traditarum.

11. non tibi iam somnos, non illa relinquet ocellos,

---

[1]) Mecum stant Muellerus Postgatius Hartmanus.

qui versus a permultis viris doctis [1]) corruptus habitus optime defenditur versu 27 elegiae 9 nostri libri:

quippe ubi non liceat vacuos seducere ocellos,
nec vigilare alio nomine cedat Amor.

17. et quaecumque voles fugient tibi verba querenti

Interpretes nobis narrant ad voles **dicere** supplendum esse, conferuntque III, 9. 5:

turpe est quod nequeas (sc. ferre) capiti committere pondus.

Sed non credo fugiendi verbum cum dativo adhiberi posse de re quam quis amittit neque invenire potest.

Cum Hartmano probo Santenii lectionem volet.

ELEGIA VI.

9. illa meam mihi iam se denegat, illa minatur,
quae solet irato tristis amica viro.

Rothsteinius intelligens hic de irato viro non sermonem esse contendit non cogitandum esse de iis quae nostro carmine narrat poeta: „Cynthias Drohung vergleicht Properz mit den Äusserungen wie sie bei einem Zwist zwischen Liebenden gewöhnlich fallen. Diesen Zwist stellt er sich mit poetischer Anschaulichkeit, aber ohne Rücksicht auf den Fall der gerade hier erläutert werden soll, vor". En interpretatio contortissima; scribe tamen cum Italis ingrato et omnia bene procedent: nam si poeta amicam relinquere in animo habet, iure ab ea ingratus dicitur.

---

[1]) cf. Baehrensii apparatum cr.; Bursian, 46 Bnd. 1886 Zw. Abt. p. 186.

17. Versu 17 Housman (JPh. XXI p. 182) opposito vento pro ablativo absuluto habet et annotat haecce: „(I) understand Cynthia to be represented as crying to Propertius: my kisses bring again!, when now his ship has left the shore and the wind forbids return".
Ego cum Hartmano (in schedis) explicare malim: „Oscula non tibi, durissime, debeo, sed ventis, mitioribus quam tu es".

22. Versu 22 Phillimorius lectionem at quam exhibent omnes codices falso cum Italis in et mutavit neque observat in apparatu critico et coniecturam esse. Eodem modo at adhibetur III. 5. 14, ubi cum Schradero at ex coniectura restituendum esse credo; vid. meam ad illum locum annotationem. Pro armatae cum Hemsterhusio armato legere malim.

25. me sine quem voluit semper Fortuna iacere
voluit semper sic Baehrensins cum DV edidit, sed ceteri codices recte semper voluit cf. Housm. JPh. XXI, p. 183.

26. Hoc versu legendum esse censeo cum Fonteinio: hanc animam extrema reddere nequitia. Animam reddere bene explicatur ex Vergilii Georg. III, 495:

> Hinc laetis vituli vulgo moriuntur in herbis
> et dulces animas plena ad praesepia reddunt

Dativus explicari nequit. Vult enim id quod Ovidius optavit Am. II 10. 36:

> At mihi contingat Veneris languescere motu,
> cum moriar, medium solvar et inter opus.

Housmani coniectura: huic animam extremam reddere nequitiae aeque bonum dat sensum, sed longius distat a litteris traditis.

34. Hic lectionem traditam eo modo quo Rothsteinius defendere non possumus: nam sic acceptus languidissime positum esset. Praestat cum Heinsio legere asserti pars eris imperii (vid. Burman.), nam accipere imperium eo sensu qui requiritur non recte dicitur. Cum nostro versu comparandus est Verg. Georg. II, vs. 40: o decus, o famae merito pars maxuma nostrae, quod Lachmannus[1]) recte interpretatur: qui maxime, ut mihi fama sit, efficis. Sententiam Batave optime reddit vir cl. Hartman: als gij u voor de uitbreiding des rijks verdienstelijk maakt.

ELEGIA VII.

16. Hoc versu nulla emendatio corrupti vocabuli eviolasse melius placet, quam id quod olim habebat vetus codex teste Beroaldo:

quod nolim nostros evoluisse deos.

Quae L. Muellerus (praefat. edit. p. XIX) contra hanc correctionem profert evoluisse longius abesse a tradita scriptura, neque Propertium diaeresi in verbis volvendi et solvendi uti, non gravia sunt. Talia enim poetae metri causa adhibent, neque carmina Propertiana tam multa sunt, ut inde certi aliquid deducere possimus. Adhibere similiter diaeresin in hoc verbo Ovidium Her. 12. 4:

debuerant fusos evoluisse meos,

praeterea observat Frigellius (Prop. el. duodecim, p. 17).

---

[1]) Lachmannus nostrum locum infeliciter tractavit, nam postquam verba Vergilii a me supra citata, recte, ut dixi, interpretatus est, nostrum versum mirum in modum sic reddit: pars imperii erit qui alterius imperio paret. Passeratii coniectura: et acceptis par eris imperiis a Postgatio probata in hunc locum minus quadrat.

8. Multi viri docti putaverunt aliquot versus huius elegiae a librariis suo loco esse motos. Primus W. Fischer versus 25. 26 posuit post 14, quem sequitur vir doctus Otto (Die Versumstellungen bei Properz I p. 4). Baehrensius 23—26 post 14 transponit improbante Ottone. Sed ego cum Hartmano credo neutram transpositionem recte se habere, quod versibus 25. 26 optime conclusio totius carminis continetur.

Quod Otto quoque perspiciens non recte contendit particulam aliquam (at, vero, igitur) aegre desiderari cf. II. 28. 59. Supervacuanea igitur est transpositio. Sed quod Otto transpositionem defendere credit, id ego ad eam condemnandam adhibeo. Haec autem sunt verba viri docti: „echt Properzianisch ist die Anaphora t u c a v e, t e q u o q u e, entsprechend der vorausgehenden: m e l a u d e n t — m e l e g a t". Coniunctio q u o q u e post 13. 14 bene se habet; post t u c a v e etc. langueret. Contra Baehrensii transpositionem pugnat etiam futurum p o t e r u n t post coniunctivos optativos male positum.

Housman 23, 24 post 10 transposuit, quod Postgate in textu ponit. Sed huic quoque traiectioni futurum p o t e r u n t obstare iure observat Hartman. Postquam poeta dixit h i n c c u p i o n o m e n c a r m i n i s i r e m e i, coniunctivus optativus sequatur necesse est, neque versus quales sunt 23, 24, in quibus ovat poeta non dubitans quin futurum sit ut gloriam nanciscatur sempiternam, post versum 10 ullo modo ferri possunt.

ELEGIA VIII.

7. Versu 7 f u l c i r e integrum esse et alii docuerunt et Rothsteinius; p r u i n a s cum DV legendum esse iure contendit Solbisky (De codicibus Propertianis p. 185). Pro p o s i t a s

Peiper (Quaest. Propertianae p. 2) iniuria proponit pronas. Positas bene defenditur Ovid. Fasti:

saepe graves pluvias adopertus nubibus Auster
concitat, aut posita sub nive terra latet.

9—16. Versus 9—16 multum torserunt viros doctos, quorum conamina reperies apud virum doctum Cartault (Rph. XXIV, p. 193 sqq.), neque tamen mea opinione a nostrae aetatis criticis bene intelliguntur. Cum Hertzbergio eos rogare velim, quomodo ventis adversis et remorantibus navis provehi et auferri possit.

Tales venti igitur non interpretandi sunt venti qui nunc mare possident et te remorantur. Hoc Risbergius (Emend. et explic. p. 5) bene intellexit, sed eius coniecturis prorsus nihil proficitur. Sic enim locum restituere vult:

O utinam hibernae duplicentur tempora brumae,
et sit iners tardis navita Vergiliis,
ne tibi Tyrrhena solvatur funus harena,
(neve inimica meas elevet aura preces)
atque ego non videam tales succedere ventos
cum tibi provectas auferat unda rates,
et me defixum vacua patiatur in ora
crudelem infesta saepe vocare manu.

Quomodo autem Risbergius vocabulum tales his coniecturis assumptis explicare velit, non intelligo, neque enim eius explicatio: vox talis nimirum refertur ad versus qui sequuntur (14—16) quicquam affert lucis.

Est tamen via, qua certissime monstrari potest, quid poeta sibi voluerit, licet ipsa verba restitui posse non contendam. Namque ex verbis: cum tibi provectas auferet unda rates patet navem iam e portu exiisse. Ergo venti Cynthiae aliquantisper secundi fuerint necesse est. Quid igitur? Duae res inter se opponuntur: aut naves vehi non possunt propter brumae tempus,

aut iam provectae sunt, sed .... quid nunc supplendum? subito venti subsidunt, nimirum.

Quae si probabiliter disputavi, versus 13—16 ita scribendi sunt:

aut ego tum videam tacitos subsidere ventos,
cum tibi provectas auferet unda rates,
et me defixum vacua patiantur in ora
crudelem infesta saepe vocare manu.

Tacitos defenditur Ov. Trist II, 151, ubi de ventis dicitur:

sed modo subsidunt intermissique silescunt.

Vir cl. Hartman (De Horat. poeta p. 145) pro tales **faciles** commendat, quod aeque placet.

19—20. Sed quocumque modo de me, periura, mereris,
sit Galatea tuae non aliena viae:
ut te, felici, praevecta Ceraunia remo,
accipiat placidis Oricos aequoribus.

Sic legimus in N A F; sed quisque versu 21 pro praevecta accusativum exspectabit; qui praevecta pro vocativo accipere volunt, comparant I, 11, 9

atque utinam mage te, remis confisa minutis,
parvula Lucrina cumba moretur aqua,

sed recte Paleyus contendit confisa ad vocabulem cumba pertinere.

Prorsus non conferri possunt exempla, qualia sunt:

Persius V, 124: unde datum hoc sumis, tot subdite rebus
I, 123: audaci quicumque afflate Cratino
iratum Eupolidem praegrandi cum sene palles
III, 29: Stemmate quod Tusco ramum milesime ducis
censoremve tuum vel quod trabeate salutas.
Tib. I, 7, 53: sic venias hodierne
Lucret. V, 231: secreta tenebis
litoris Euboici memorando condite busto

Ov. Ars am. I, 145:[1]) cuius equi venient, facito studiose requiras;
Met. 10. 196[1]) laberis, Oebalide, prima fraudate iuventa;
Heroid. 10. 6[1]) in quo me somnusque meus male prodidit et tu
per facinus somnis insidiate meis.

Nullo igitur modo nostram constructionem defendere possumus, quin linguae Latinae vis fiat. Si tamen lectionem DV accipimus omnia bene procedunt:

Utere felici praevecta Ceraunia remo,
accipiat placidis Oricos aequoribus.

Qui pronomen te in petametro desiderari aegre ferunt, cum Solbiskyo (p. 186): I, 6, 21

nam tua non aetas unquam cessavit amori
semper et armatae cura fuit patriae (sc. tibi)

vel cum Lachmanno: II, 5. 23

nec tibi conexos iratus carpere crinis
nec duris ausim laedere pollicibus,

conferre possunt.

Hoc quoque loco DV praeferendi sunt libris AFN.

21. nam me non ullae poterunt corrumpere, de te
quin ego, vita, tuo limine verba querar

Versu 21 credo cum Housmano (JPH. XXII, p. 117) de te recte habere, neque cum codice Groningano taedae esse legendum, quod Lachmannus Vahlenus Muellerus assumunt. Sequenti versu verba non defenditur locis, quos citat Rothsteinius in commentario, sed cum Passeratio repono vera, quod sescenties cum voce verba confunditur; neque tamen id cum Hertzbergio interpretor: querar quidem, sed nihil nisi iusta, sed cum L. Muellero et Solbiskyo (p. 167): veri cum questu signa edam amoris cf. Catull. 66, 18: non, ita me divi, vera gemunt, iuerint.

[1]) qui loci a Vahleno adlati sunt: Ueber zwei Elegien des Propertius. Aus den Sitzungsberichten der Kön. Akad. d. Wiss. zu Berlin vom Jahre 1882, p. 269.

25. et dicam licet Atraciis considat in oris
et licet Hyleis, illa futura mea est

Ante omnia mihi constat hoc disticho mentionem fieri de Illyriae regionibus, nam Illyriam se collatura est Cynthia (v. 2), Illyriae portus — Oricos v. 20 — eam accipiet. Non adstipulor igitur Housmano, qui assumpta correctione A. Palmeri Artaciis [1]) in breviore versu Hylaeis [2]) legere vult hoc sensu: though she sail to the ends of the earth she shall be mine (JPh. XXI, p. 183).

Collato Steph. Byz.: Ὑλλεῖς, ἔθνος Ἰλλυρικόν vulgo recte Hylleis scribitur (hylaeis AF; hileis N); quid tamen in hexametro scribendum sit, inter viros doctos non constat; alii Atraciis (cum N) servant, quibus non concedo adiectivum, quod apud alios scriptores Thessalicus significet, hic idem atque Illyricus esse. Cum Baehrensio recipio Volsci emendationem: Autaricis; Autariatae enim auctore Strabone gens Illyrica erat.

In altera parte elegiae quam recte divisit Lipsius editores coniecturam Fischeri, qui versus 45 et 46 post 36 transponit ad unum omnes spernunt hoc argumento usi, quod Ottonis verbis (Versumstell. I p. 5) citabo: Schon Richter hat auf den Übelstand hingewiesen, dass das Verhältniss der Tempora (maluit-subducit-fugit) gestört würde.

Sed hoc argumentum nihili facio: nam si subducit in subducet corrigimus, omnia bene procedunt: „maluit Cynthia mea esse quam praetorem sequi et certo scio eam mihi semper fidam mansuram, nec rivalem eam mihi ademptururum, nam quamvis magna praetor ille ditissimus ei offerret me non reliquit, neque vereor, ne me unquam deserat". Videte autem, quam pulchre

---

[1]) cf. Apoll. Rhod. Arg. I, 954 sqq: καλὸς δὲ λιμὴν ὑπέδεκτο θέουσαν κρήνῃ ὑπ' Ἀρτακίῃ

[2]) Herod. IV, 9. 54. 55. 76.

hac transpositione admissa carmen claudatur: nam non solum versus 43. 44 meliorem finem praebent, sed ultimus versus:

sive dies seu nox venerit illa mea est

prioris partis ultimum versum: illa futura mea est, lepidissime respiciunt. Praeterea versu 37 verbo daret subiectum suum redditur, quod quamquam ex priore elegiae parte suppleri potest melius tamen additur.

40. sed potui blandi carminis obsequio.

Pro voce obsequio Baehrensius in annotatione critica proponit adloquio, sed obsequio bene tuetur Rossbergius (Fleck. Jahrb. 1883, 68) collato loco Ausonii (parent. 21, 6) qui nostrum imitatus est: stringamus maesti carminis obsequio.

41. 42 sunt igitur musae, neque amanti tardus Apollo,
quis ego fretus amo; Cynthia rara meast!

Pro amo Baehrensius ovo edidit, quod primo adspectu valde placet; sed amo optime se habet, si verba poetae sic interpretamur: „Sunt igitur Musae et Apollo, qui me in amore adiuvant, non pecuniae ope puellae animum vincio, nam plane ab avidis illis puellis differt, quae auro donisve pretiosis amorem suum vendunt; rara mea Cynthia!

43. De hoc versu conferenda sunt quae scripsit vir cl. Hartman in libro cui titulus de Horatio Poeta p. 136. Is enim tam certis firmisque argumentis monstravit pro plantis palmis esse legendum, ut nihil addam.

ELEGIA IX.

4. et tibi nunc quaevis imperat empta modo.

quaevis O. Hertzbergius, quem Rothsteinius Palmerus Phillimorius sequuntur, verba tradita defendit vertendo:

quaevis nuper empta nunc imperat tibi; paulo aliter quaevis accusativum esse censet Palmer; Postgatius quidvis coniecit.

Mihi non placet modo empta; empta enim serva est; non potest igitur verti: puella, quae modo meretrix venalis erat, nunc tibi quidlibet imperat, ut Palmer (praef. p. X) vult: non nuper serva erat, sed nunc quoque serva est manebitque; neque nostro versu nunc et modo inter se opponuntur: nunc oppositum est ei tempori, quo liber erat Ponticus. Lego igitur cum vC et Lachmanno:

et tibi nunc quovis imperat empta modo.

6. Non me Chaoniae vincant in amore columbae
dicere quos iuvenes quaeque puella domet.

Pro quaeque Baehrensius quamque coniecit, absurde; Rossbergius (Fleckeisens Jahrb. 1883 p. 68) quaeque pro et quae habet confertque: Nepos, Att. 18,3 notans qui a quoque ortus quos honores quibusque temporibus cepisset; in quo loco tamen nihil auxilii est ad eius opinionem stabiliendam, neque enim legimus apud Nepotem notans qui .... quosque honores .... cepisset.

Veram explicationen dedit Rothsteinius.

12. Pro levia (O) cum Beroaldo legendum lenia; Amor enim mansuetus. Phillimore non recte retinet levia.

13. i quaeso et tristis istos compone libellos

En versus difficilior, quem Rossberg (l. l.) interpretatur: nun geh doch, bitte, und verfasse einmal solche trübselige büchelchen (wie ich). Ponticus hatte offenbar die elegien des Properz wegwerfend mit triste isti libelli bezeichnet; das rückt ihm Prop. jetzt vor, vgl. Hor. carm. I. 23. 2: miserabiles elegi. Haec interpretatio iam antea vera visa erat Hertzbergio, qui

c o m p o n e r e idem valere quod s c r i b e r e observavit, et i q u a e s o semper irridendi [1]) significationem habere.

Rothsteinius contra versum prorsus alio modo explicat: „mit i s t o s l i b e l l o s sind nicht die eben genannten Dichtungen von den traurigen Schicksalen des thebanischen Königshauses selbst gemeint, sondern die griechischen Originalen, die der römische Dichter zur poetischen Produktion braucht. Diese Bücher soll Ponticus jetzt zusammenlegen". Ad hanc componendi significationem illustrandam citat:

Cic. fam. XVI 20: libros compone.

Ov. Pont. I. 1. 11: quaeris ubi hos possis nullo componere laeso?

Varro l. lat. V. 182: nam quod asses librales erant, qui acceperant maiorem numerum non in arca ponebant, sed in aliqua cella stipabant, id est componebant, quo minus loci occuparet.

Hor. ep. I, 1. 12 condo et compono, quae mox depromere possim.

Interpretatio, quam Hertzbergius et Rossberguis defenderunt, mihi non placet, quia i s t o s l i b e l l o s non accipi posse credo: libelli tristes, ut tu eos cum contemptu nominasti.

Quod ad alteram interpretationem attinet, ea mihi vera videtur; ex locis tamen, quos citavit Rothsteinius, unus tantum aliquod praesidium praebere videtur: in loco enim Ovidiano c o m p o n e n d i [2]) verbum a b d e n d i sensum habet, ut ex eiusdem elegiae versu 4 patet.

Si vacat, hospitio peregrinos, Brute, libellos
excipe, dumque aliquo, quolibet abde loco.

Potuerat tamen vir ille doctissimus aliud luculentum exemplum dare, si Broukhusium suum evolvisset; locus, quem volo, est Hor. Carm. IV, 14, 52:

te caede gaudentes Sygambri
compositis venerantur armis,

---

[1]) quod recte negat Otto (Hermes 23, p. 24) cf. III, 4. 10, III, 23, 23.

[2]) Sperno igitur coniecturas: s e p o n e (Heinsius), c o m p e s c e (Baehrensius), c o m b u r e (Cornelissen, Mn. N. S, 1879), d e p o n e (edit. priscae, Palmer).

ubi compositis non significat: depositis, sed conditis, Istos libellos cur non de ipsa Thebaïde accipi possit. non intelligo.

21. quam pueri totiens arcum sentire medullis
Prorsus adstipulor Hartmano (De Hor. Poeta, p. 139) sic disputanti: „sufficit, ut opinor, semel Amoris esse percussum sagitta, praesertim si illa per ossa medullas attigit: ubi semel sic scopum percussit, laetus abire solet Amor et successu gloriatur, non iterum iterumque eundem petit". Scribe igitur cum Dousa: totis.

23. Locum ita explico, ut Rothsteinius.

26. acrius illa subit, Pontice, si qua tua est.
Rothsteinius annotat: illa, die Person selbst wird hart und kräftig zum Subjekt von subit gemacht, wo etwa cura illius gemeint ist. Duritiem tollit coniectura quam proposuit vir doctus J. Hetzel (Beiträge zur Erklärung des Propertius, Dillenburg, 1890): acrius ille subit; ille autem Amor est.

29. donec manus attigit ossa.
Ad hunc locum annotat vir cl. Hartman (De Hor. Poeta p. 138): „cuiusnam, obsecro? Amorisne? Sed quis unquam Cupidinem audivit manibus viscera hominum laniare, donec ad ipsa ossa digiti eius perveniant. Sed sagittis suis mortales petit neque contentus est, priusquam earum una non visceribus solum, sed et ossibus inhaereat".
Confer praeterea hos locos:
Prop. II, 34, 60: quem tetigit iactu certus ad ossa deus
Ov. Her. 16, 275: non mea sunt summa leviter destricta sagitta
pectora: descendit volnus ad ossa meum.

Heinsius pro manu media[1]) coniecit; magis placet, quod Modius excogitavit: malus. Hoc Hartmanus quoque legit.

30. Pro aufuge (sic 0) cum Boltio legendum: ah fuge.

31. 32 illis et silices et possint cedere quercus
nedum tu possis, spiritus iste levis.

In his versibus vitium haerere multi intellexerunt et ipse Rothsteinius quamvis sit strenuus defensor textus a codicibus traditi sic scribit ad I, 2. 29:

„Bedenklicher ist es umgekehrt aus einem positiven Gedanken einen negativen zu entnehmen, was I, 9. 32 notwendig ist."

Mihi persuasum est mendum subesse.

Baehrensius pro possis par sis ingeniosissime coniecit, quod Postgatius in utramque editionem recepit; neque tamen hexameter integer videtur: non exspectamus silices quercusque cedere posse, sed non posse non cedere. Quid ergo? Si meminimus manuscripta I, 12, 19 discedere et dissistere dare, coniectura prae manu est: hexameter tantum medela eget:

illis (ablat. causae) nec silices nec possunt sistere[2]) quercus.

Postquam sistere in cedere corruptum est, quod facile fieri potuit — c et s non multum differunt inter se, ct facile in d abeunt, cf. II, 14, 29, ubi Groninganus sistat, ceteri sidat habent, — παραδιορθώσει et... et correxere librarii.

33. Cum Hartmano nego si pudor est defendi posse. Otto (BphW. 1884, No. 9) locum sic explicat: „wenn du dich deines jetzigen Zustandes und deiner Liebe schämst und vor ihr befreit sein möchtest." Sed haec interpretatio nimis contorta est. Vitium tollit correctio Heinsii ni pudor est, quam minime refutat Lachmannus, cf. eius ad hunc locum annotationem.

---

[1]) media commendat Hetzel (Programm d. Gymn. zu Dillenburg, 1876, No. 309).

[2]) spiritum sistere non posse optime dicitur, cf. II, 3, 2: cecidit spiritus.

34. dicere, quo pereas
Recte L. Muellerus cum Dousa filio: qua pereas.

ELEGIA X.

2. Affueram vestris conscius in lacrimis
Vocem lacrimis multi corruptum habuerunt; Scaliger et Heinsius illecebris, Huschkius thalamis, Cornelissen latebris coniecerunt; sed recte Paleyus comparat I, 13. 15 sq.:

vidi ego te toto vinctum languescere collo
et flere iniectis, Galle, diu manibus.

11. sed quoniam non es veritus concedere nobis
concedere: O; hoc Otto (H. 23, p. 24) defendit: „Gallus hatte dem Drängen des Freundes nachgegeben und ihn Zeugen sein lassen seines Liebesglück (v. 12: accipe commissae munera laetitiae). Concedere omisso obiecto mihi durissimum et obscurissimum videtur; unusquisque non monitus concedere per loco cedere interpretabitur; vulgo legunt cum V m 2: concredere, quod raro absolute adhibetur; ego propono confidere.

13. Non solum vestros didici reticere dolores
Ad hunc versum Rothsteinius annotat: „dolores die Liebesschmerzen trotz des vorhergehenden laetitia, weil jede Liebe, auch die glückliche, den antiken Erotikern als Krankheit erscheint".
Videte tamen, quos versus citet ad hanc suam opinionem probandam:
II, 15, 35: quam possim nostros alio transferre dolores.
Sed tota hac elegia nusquam quicquam legimus de dolore (= Sehnsucht); dolores igitur hoc certe loco cum Beroaldo in

calores mutandum esse viderunt Heinsius et Burmannus, quorum hic recte confert:

I, 12, 17: aut si despectus potuit mutare calores.

I, 18, 17: an quia parva damus mutato signa calore.

Quomodo vitium irrepserit, nos docere potest I, 12, 17, ubi pro calores in D V N legitur colores. Postquam calores in calores corruptum est, παραδιορθώσει dolores correxerunt librarii.

In carmine L. Catulli, quod Rothsteinius affert,

hoc, iucunde tibi poema feci,
ex quo perspiceres meum dolorem,

nihil auxilii est, nam hic dolor recte voce Sehnsucht reddi potest, cf. versus 9. 10.

Postremum citat I. 17. 19:

illic si qua meum sepelissent fata dolorem.

Sed hoc quoque loco dolor solitam significationem habet.

19. Cynthia me docuit semper, quaecumque petenda
quaeque cavenda forent: non nihil egit Amor.

Lucianus Mueller pro quaecumque proposuit: quae cuique, quae coniectura, etiamsi plerisque vera videtur, mihi non placet, quia poetam dicentem facit Cynthiam amatorem suum artem aliquam amatoriam docuisse non soli Propertio, sed variis hominibus aptam.

23. neu, si quid petiit, ingrata fronte negaris.

Recte Baehrensius Burmanni coniecturam: irata assumpsit, cf. I. 6. 10:

quae solet irato tristis amico viro,

ubi Itali ingrato scripserunt; propter hunc locum minus placet rugata, quod Vahlenus ex Hauptii coniectura (Opusc. III, p. 389) in textu posuit.

28. hoc magis effecto saepe fruare bono

Pro effecto Palmero praeeunte legere velim effectu, cf. 3, 23, 10:

semper et effectus promeruere bonos.

ELEGIA XI.

1. Ecquid te mediis cessantem, Cynthia, Bais,
qua iacet Herculeis semita litoribus,
3. et modo Thesproti mirantem subdita regno
proxima Misenis aequora nobilibus eqs.

Non possum satis mirari eorum virorum doctorum caecitatem, qui spernunt necessariam Scaligeri coniecturam pro proxima et modo legentis. Nam inter Baehrensii argumenta (Prolegom. p. XXVII) unum saltem nullo modo redargui potest; „Plane singulariter, inquit, ei quod legitur v. 3 et modo deest cui respondeat".

6. Hic versus sine dubio corrupte traditus est. Nam in extremo amore vertere im äussersten Winkel deines Liebesempfindes (sic Rothsteinius) linguae Latinae vim facere est. Varia coniecere critici, ex quibus Rossbergius (Fleckeis. Jahrb. 1883, p. 69) et Kraffertius (Beiträge p. 140): ecquid in extremo restat amare loco? Kraffertius confert II, 22, 18:

mi fortuna aliquid semper amare dedit,

sed sententíae novae, quae sic oritur, hic non locus. Housmanus (JPh. XVI, p. 2)

ecquis in extremo restat amor iecore.

Sed elegantius et mea opinione vere proposuit Heimreichius: ecquis in extremo (pectore) restat amor?
Postquam pectore a negligenti librario omissum est, successor versum de suo supplevit.

15. 16 Versus 15. 16 Housmanus (JPh. XVI, p. 2) transponere vult post 8, quae coniectura Postgatio [1]) arridet; sed recte se habent versus, quo loco nunc leguntur, cf. Rothsteinium.

---

[1]) vid. app. crit. edit. 1894.

15. *custos*, de quo hic sermo est, amator invidus est, qualis ipse poeta:[1]) recte igitur DV: *amoto*.

18. sed quod in hac omnis parte timetur amor
Pro *timetur* Lachmannus coniecit *veretur*, quod assumpserunt L. Muellerus et Vahlenus. Rectam interpretationem dedit Paleyus: „not that my fears arise from any inconstancy in you; but in this place, viz. Baiae, even the slightest attentions paid are to be dreaded".

21. an mihi non maior carae custodia matris
aut sine te vitae cura sit ulla meae?

Hexameter, quem Rothsteinius ita legit, ut codices, ab eo admodum contorte explicatur: *an mihi non maior custodia sis matris custodia*, quod quomodo in verbis traditis inesse possit, equidem non intelligo.

Phillimorius et ipse versum integrum ducens distichon sic edit:
„an mihi non maior carae custodia matris?"
aut sine te vitae cura sit ulla meae?

Haec ipse ita vertit Anglice: *have I not other things to think about, the watchfut care of a dear mother?* Oh, do not say that! Should I have any interest in life without you? Sed quominus ei sic interpretanti adstipulemur, impedit coniunctio *aut* (v. 22).

Quieto igitur animo statuere licet codices hic corrupta praebere. Lachmannus Muellerus Vahlenus scribunt:
ah, mihi non maior carae custodia matris,

Keilius: *nam* mihi non maior carae custodia matris, quod Baehrensius recepit. Sed recte observat Hetzelius (Zur Erklärung des Prop. 1876 p. 5) hart ist es, dass im Hexameter die Negation direct, im Pentameter in der Form der Frage ausgedrückt ist.

---

[1]) sic recte Housm. (JPh. XXI, p. 170).

Dies ist vermieden in der von Hertzberg vorgeschlagenen Emendation: an mihi nunc etc, die ausserdem den Vorzug hat, dass, da die Sätze mehr geschieden sind, in dem ersten das hier allein passende est (nicht sit!) sich ergänzen lässt.
His argumentis adductus ego quoque cum Hartmano lenissimam Hertzbergii emendationem recipiendam esse puto.

24. Cum Fonteinio legendum est:

omni tu nostrae tempore laetitae,

quod iure in textu posuerunt Baehrensius et Postgatius. Causam corruptelae Baehrensius recte explicat: librarius enim pluralem nostrae laetitiae non agnovit.

28. Hoc versu iniuria a multis viris doctis spernitur Italorum correctio dabant pro dabunt.

ELEGIA XII.

1. Quid mihi desidiae non cessas fingere crimen,

quod faciat nobis conscia Roma moran?

Utrum pentameter huius distichi corrupte sit traditus necne, viri docti dissentiunt Audiamus primum eos, qui verba tradita sana esse putant.
Rothsteinius haec habet: Roma conscia facit mihi moram ist das Gegenteil von consciam Romam non moror.
Falso, non moror enim est locutio ex sermone cotidiano petita, quae sensim ad hanc significationem pervenit, sed ex hoc usu non sequitur, ut etiam moram facere eodem modo explicari possit.
Broukhusius melius carminis initium pedestri oratione explicat: videtur, inquit, vel Tullus vel Gallus, aut potentiorum aliquis

Propertium rusticatum abducere voluisse; ei vero non venienti exprobrasse desidiam et nimis mollem animum, qui tantillo tempore urbe carere non posset apud Cynthiam affixus.

Tappe (Anal. crit. et ex.) conscia Roma pro parenthesi habenti verbumque est mente suplenti non facile assentietur quisquam. Nam quid parenthesis illa sibi velit?

A. Palmer conscia Roma pro vocativo accipit, vertitque (Praefat. edit p. X): Quid, o Roma, quae conscia nostri amoris fuisti, non cessas desidiae crimen mihi fingere, falso arguens eam (desidiam) causam esse, cur parum felix in amore sim?

Fateor me haec ex verbis traditis nullo modo excutere posse. Praeterea conscia sic nude positum displicet, neque desidia subiectum verbi moram facit esse potest.

Demonstravimus textum traditum defendi non posse; audiamus nunc eos, qui correctiones proposuerunt. Passeratius nos docet alios libros [1]) pro conscia **Cynthia** legere, sive hic ipsius Passeratii coniecturam sive deperditi codicis lectionem habemus. Hac lectione usi Muretus

quod faciat nobis Cynthia amore moram [2]),

Graevius:

quod faciat nobis Cynthia nostra moram

coniecerunt.

Nulla alia coniectura addita lectio codicis Passeratii bonum sensum dare potest, si Roma pro vocativo habemus, quod Postgatio verum videtur.

Mihi tamen non placet Romam esse, quae non cesset crimen fingere desidiae; ego hic nomen amici exspecto, praesertim cum omnia primi libri carmina certae personae dedicentur: 2, 3, 8, 11, 15, 17, 18, 19 Cynthiae; 1, 6, 14, 22 Tullo; 5, 10, 13, 20 Gallo; 7, 9, Pontico; 4 Basso.

---

[1]) cf. Postgate: on certain Manuscripts of Propertius, p. 75, 82.

[2]) sic L. Muellerus.

Hanc ob causam cum Kraffertio (Beiträge z. Kr.) et Wilamowitzio (Coniectanea, Ind. schol. Gött.) legere velim:

quod faciat nobis, Pontice, Roma moram.

9. invidiae fuimus: non me deus obruit?
non: Phillimorius cum AFN.; lege: num.

11. non sum ego qui fueram.
Collatis his locis:
Prop. II, 9. 1: iste quod est ego saepe fui: sed fors et in hora
hoc ipso eiecto carior alter erit.
II, 25, 36: essem ego quod nunc tu, tempore vincor ego
cum Burmanno et Hartmano fortasse legendum est:
non sum ego, quod fueram.
Lachmannus tamen citat Propertii imitatorem Maximianum, eleg. I. 5, ubi legimus:

non sum ego qui fueram; periit pars maxima nostri.

Neque tamen addit Florentinum sive Riccardianum 1224 (saec. XII.): quod fueram exhibere, quod Baehrensius verum ducit.

DE ELEGIA XIII.

12. Iniuria hoc versu acuta Guyeti emendatio iniquus pro amicus spernitur et ad alias coniecturas confugerunt viri docti. Baehrens Adonis, Kühlewein (Kritische Bemerkungen zu Propertius, Festgruss für Heerwagen) amatus conicientes. Sed ex verbis nova quaerendo semper patet vocem amicus corruptam esse. Nam quis Rothsteinio concedet Gallum ideo puellis placere quod semper novi quid amare cupiat? Sed in priore carminis parte poeta locutus est de puellis deceptis (vs. 5), de contempti poena doloris (vs. 9); vides igitur quam bene

Guyeti conlectura in hunc contextum quadret. Cum Housmano (Journ. of Philol. Vol. XVI p. 2) credo Propertium non iniquus sed inicus scripsisse; amicus igitur coniectura nihil est nisi *παραδιόρθωσις* manifesta.

13. Verba tradita mutant editores. Non recte, nam quod verbum dico omittitur, id vitii indicium non est: cf. III, 24. 11. Malus autem rumor cur non potuerit dici a Propertio post ea quae vv. 7. 8 memoravit poeta non magis quam L. Muellerus intelligo.

17. Ex versibus quales legimus Anthol. Pal. V. 171. 3:

εἴθ' ἐπ' ἐμοῖς νῦν χείλεσι χείλεα θεῖσα
ἀπνευστὶ ψυχὰν τὰν ἐν ἐμοὶ προπίοι

discimus Passeratium optime ex vetustis libris reposuisse: animam deponere labris. (Vid. etiam Burmanni annotationem ad hunc versum).

Burmanni coniectura aptatis pro optatis facile carere possumus, cf. locos quos citat Rothsteinius p. 32. Postgatius minus feliciter edidit membris.

19. Van Herwerden (Coniectanea Latina, Mnemosyne, N. S. 1873. p. 427) coniecit: non ego complexu potui secedere vestro.[1]) Sed bene explicat R. Richter (Bericht aber Properz. Burs, Bnd. 10, 1877.) „Der Vers sagt gar nicht, dass der Dichter sich nicht über die Umarmung gefreut hatte, sondern constatirt nur die Festigkeit derselben, die so gross war, dass nicht einmal das Erscheinen eines Dritten die Liebenden zu trennen vermochte".

24. Ad hunc versum annotat Rothsteinius: was Properz veranlasst hat sich die Vereinigung mit Hebe nicht im Olymp zu denken, wie z. B. ausdrücklich Hes. theog. 953

αἰδοίην 'θέτ' ἄκοιτιν ἐν Οὐλύμπῳ νιφόεντι,

---

[1]) cf. I, 10. 9; Baehrensius: dimittere.

sondern mit der Selbstverbrennung zusammenfallend und auf dem Oeta stattfindend, ist nicht bekannt".

Neque hoc loco, neque apud Diodorum (IV. 39) neque apud Apollodorum (II, 7. 7) quicquam legimus, quod nobis persuadeat, ut cum Hertzbergio credamus Propertium hic aliam secutum esse traditionem, qua Hercules in ipso Oeta, rogo evicto et mortalitate abdicata, Iuventam uxorem duxisse narraretur.

Plerique editores inter quos Lachmannus Vahlenus Postgatius reponunt Scaligeri coniectura usi: ab Oetaeis iugis.

Si autem rationem habemus lectionis N aethaeis[1]), intelligimus, quam veri similis sit emendatio Rossbergii (Luc. p. 9) aethereis a Palmero in textu posita.

Quae Rothsteinius (Anh. p. 331) contra hanc Rossbergii coniecturam affert: aethereus ist entweder das, was von der Erde in den Himmel ragt, und das thut jeder hohe Berg, nicht nur der Götterberg, oder das, was im Leben der Götter der irdischen Verhältnissen entspricht, wie aetherea domus der Aufenthaltort der Götter ist; danach würde aetherea iuga einen Berg im Himmel bezeichnen", me movent ad iugis in locis mutandum, quae coniectura omnes difficultates tollere videtur.

25. Una dies omnis potuit praecurrere amantes

Pro amantes Lachmannus amores coniecit, quod Postgatius Muellerus Vahlenus in textu posuerunt.

Sua autem coniectura recepta Lachmannus totum versum sic explicat: „Una dies qua tu hanc puellam vidisti amoribus tuis finem imposuit". Duae tamen res obstant, quominus sic a poeta scriptum esse credamus, quas res Hertzbergii verbis afferam: „primum amores si poeta simpliciter ait, omnes amores sunt, non modo tui aut pristini tui; deinde quod praecurrere interpretatur auferre non evincit".

---

[1]) Haec Neapolitani lectio hanc praesertim ob causam digna est, quam consideremus, quod oe vocis oeta III, 1. 32 ab N servatum est.

Cetera apud ipsum Hertzbergium relegas. (tom. III, p. 50). Ceterum non intelligo, cur dici nequeat: unum tantum diem amasti et uno hoc die omnes amantes vicisti. Recte vertit Phillimorius: „a single day has achieved the outstripping of all lovers"!

29. nec mirum, cum sit Iove digna et proxima Ledae.
Heinsius: cum sit Iove dignae proxima Ledae propter versum 32: illa suis verbis cogat amare Iovem, quod recipiunt Lachmannus Vahlenus Baehrensius Muellerus. Nostro autem versu poeta narrat puellam dignam esse, quam Iuppiter amet; versu 32 dicit puellam ipsum Iovem urere posse; sententia igitur diversa est.
Quapropter non est cur mutemus lectionem codicum.

ELEGIA XIV.

1. Tu licet abiectus Tiberina molliter unda
Marklandi coniecturam ulva pro unda recte spernit Burmannus apte comparans I, 3. 6:

Qualis in herboso concidit Apidano.

5. et nemus omne satas intendat vertice silvas,
urgetur quantis Caucasus arboribus.

Hexameter saepissime a viris doctis tentatus est.
Lachmannus: et nemus unde coniecit, quod L. Muellerus et Baehrensius assumunt. Nemus omne, quod etiam Verg. el. 6, 11; 7, 59; Georg. 2, 429; Aen. 12, 722 redit, non habet quod offendat; totum nemus amoenum, quod est ad praedium tuum interpretatur Frigellius.
Totum versum sic interpretor: et licet totum nemus

arbores satas alte vertice i. e. cacumine intendat. Kühleweinius (p. 2) proponit:

utque nemus tantas intendat vertice silvas,

sed satae silvae ex corruptela ortum esse numquam credam. Rothsteinius versum sic refingit:

et nemus omne satas ut tendat vertice silvas,

quod Vahlenus recepit.

Huic speciosae coniecturae obstat tamen unum, quod gravissimum est vertice hic dativum esse. Loci enim, quos citat ad hunc rarissimum usum defendendum, nihil valent.

IV. 1. 125: scandentisque Asisi consurgit vertice murus, ubi vertice: in monte

IV. 8. 10 cum temere anguino creditur ore manus, ubi pro creditur cum Cornelisseno raditur legendum. cf. Bücheler, Lat. Deklin. 56.

16. Praemia; Fonteinius: praedia, at cf. Rothst.

23. non ulla verebor — regna.

Fortasse cum Marklando pro ulla: Lyda legendum, ne regna suo epitheto careat.

Vel in brevi versu, pro quo Itali nec, L. Muellerus (praefat. p. XXII) aut legit, recte tuetur Tibull. I, 9. 59, cf. Rothsteinium et Vahlenum (SPrA 1881, p. 337).

ELEGIA XV.

15. 16. Versus 15 et 16 post versum 20 transposuit Marklandus, quem fere omnes secuti sunt. Lachmannus et Palmerus versus 15 et 16 post 22 poni maluerunt. Sed recte Otto (Die Versumstellungen bei Properz, I, 1884 p. 5) observavit ultimis verbis versus vicesimi secundi Argivae fama pudicitiae transitum parari

ad sequentis distichi verba: tu quoque uti fieres nobilis historia.

Antequam tamen de ceteris huius elegiae locis difficilioribus disputare pergo, praemonere volo legentem, ne cum Ribbeckio (RhMPh, NF. 40, p. 487) et Rothsteinio nostram elegiam in duas dividat partes, quarum altera incipiat a versu 25.

Habent autem Ribbeckius et Rothsteinius diversam de carmine nostro opinionem; ille enim, quem sequitur Postgatius, unam esse elegiam, sed ex duabus constare partibus censet, hic contra duo ponit carmina. Rothsteinius (Anh. p. 332) carminis divisionem sic defendit: Wer an der Einheit festhalten will, muss eine dramatisch belebte Komposition annehmen, bei der vorausgesetzt werden müsste dass Cynthia nach V. 24 den Versuch macht, ihren Geliebten durch eine Versicherung ihrer Treue zu beruhigen . . . . . . Aber hier fehlt jede Andeutung einer solchen Aüsserung Cynthias. Sed Cynthiam se revera defendere indicant verba desine et tua verba. Haec verba in versu 42 sunt blanditiae. Cynthia placare vult poetam, inquit vir doctus Ites (De Properti eleg. inter se conexis, 1908, p. 15), et his ipsis verbis placantibus quia falsa sunt, revocat periuria.

Sic fere poetae verba enarrare possumus:

„Quamvis levem te haberem, nunquam credidi te in nostro periculo tam sero venturam. Quam diversae erant puellae illae antiquae. Desinas autem excusationibus te purgare, nam renovas tantum periuria. Nunc te novi". Sed licet poeta iratus sit puellae, amor eius manet: nam timet, ne Cynthia deos perfidiae et periuriorum memores faciat. „Audax es, pergit, nam mox dolebis, si quid acciderit, et ego quoque dolebo (meo periculo); nam nunquam peribit meus amor"; sed nunc leve vitium in manuscripta irrepsit, omnes enim codices sic pergunt:

quam tibi ne viles isti videantur ocelli.

Ex coniecturis (Tam: Palmer, nam: E. Schulze, quam mihi: Volscus, tam mihi Madvig, quamve mihi: Beroaldus,

d u m t i b i: Baehrens,) mihi maxime placet ea quam proposuit C. Brandt (Quaestiones Propertianae p. 15.) qui sic scribit: „qui est sententiarum nexus, si cum Lachmanni amico Gottingensi Ernesto Schulzio ex Groningano n a m m i h i restituimus?

Propertius fastidiosum in summo suo periculo frigus Cynthiae questus suam fidem magnifica sane oratione affirmat (29—32); quo versu cum fidei affirmationem finitam et ad summum orationis fastigium perventum esse appareat, mirum in modum flaccescit haec sententia s e m p e r o c u l o s t u o s q u a m v i s p e r f i d o s t a m e n a m a b o, praesertim cum illo n a m, quod nimis pedestrem orationem sapiat, inepte annectatur".

De Baehrensii coniectura recte Brandtius iudicat observans coniunctione d u m magnificis illis versibus satis ineptam exceptionem addi. Repone igitur cum Brandtio a t t i b i. Similitudinem litterarum curari propter q u a m (versu 31) non necesse est. Rothsteinius et Ribbeckius, qui versibus 27—32 offensi, quod versus alium animum praeberent, carmen diviserunt, non viderunt vs. 27—32 nihil esse nisi digressionem, qua verba n o s t r o p e r i c u l o explicantur id quod recte observat Ites (l. l.)

Deinde digressione finita versu 33 ad id, quod versu 25 dixit Cynthia cavendum esse, ne a diis puniatur, revertitur.

Optime autem carmen, quod totum versatur in Cynthiae perfidia nequitiaque querenda, clauditur;

o nullis tutum credere blanditiis.

Vidimus igitur carmen, quale sit traditum, optime procedere. Praeterea spero id quoque me mea enarratione planum fecisse, quam falsa esset Postgatii opinio versus 29—32 hic alienos ducentis et post XVIII, 16 transponentis.

Contra Ribbeckium recte Ites sic disputat: „ Exspectamus, si una elegia ad alteram se refert aut eam supplet — quod fieri solet, si altera iuxta posita idem argumentum tractat et hic quoque

fieri deberet — arta esse vincla et singularia quoque sibi respondere. Sed neque ea vincla videmus nec argumentum et animus sibi contraria sunt in utraque parte."

Si carmen cum Rothsteinio sic dividimus, ut versus 1—24 et 25 — ult. pro duabus elegiis habeantur, vehementer displicet prioris carminis finis: postquam enim poeta initio acerbe Cynthiam perstrinxit: hac tamen excepta perfidia, in fine gravior reprehensio requiritur; apud Rothsteinium elegiae finis egregie languet, et tota elegia, quae post divisionem orta est, nihil nisi fragmentum esse videtur, nam quis credat Propertium, praeclarum artificem, carmen scribere, quo Cynthiae obiciat eam, cum ipse in periculo versetur, tam sero venire, deinde elegiam claudere tali disticho:

quarum nulla tuos potuit convertere mores,
tu quoque uti fieres nobilis historia?

Videamus nunc de aliquot locis difficilioribus:

21. Coniugis Euadne miseros elata per ignis
occidit eqs.

Coniungo elata per miseros ignis, id est per ignes emicans. Si elata cum Baehrensio concitata vel magnanima vertimus, praepositio per se non recte habet. Nam per aut motum significat, quo modo Baehrensii explicatione accepta verti non potest, aut modum, quo aliquid fit. Sed occidit per ignes sic acceptum valde languet. Probo igitur Rothsteinii huius versus explicationem. Burmanni coniecturam mixtos pro miseros falsam habeo, non quod nesciam miscere cineres, miscere ossa Latine recte dici, sed quia ignes, cum Euadne per ignes emicat, nondum mixti sunt, et prolepsin accipere durissimum est.

29. In contextu tractando etiam versum 29 praeterii, ubi haec in codicibus invenimus: multa prius vasto labentur

flumina ponto. Vocabulum multa fere omnes corruptum habuerunt et alius aliud proposuit; Rothsteinius solus textum traditum defendere conatus est sic interpungendo: multa prius: vasto labentur flumina ponto etc. Sed ridiculum est multa prius fient dicere, deinde duo tantum exempla dare. Nam Diris 4, quo versu stabilire conatur opinionem suam Rothsteinius, complura exempla enumerat poeta:

Ante lupos rapient haedi, vituli ante leones,
delphini fugient pisces, aquilae ante columbas,
et conversa retro rerum discordia gliscet:
multa prius fient, quam etc.

Deinde admodum dura est omissio verbi fient.

Ex coniecturis propositis vulgo recipiuntur aut Mureti muta pro multa legentis aut Passeratii nulla conicientis.

Sed prudenter observat Rossberg (Lucubr. Prop. p. 10): „Recte monuit Hertzbergus Mureti invento non satis *ἀδύνατον*, quo hic opus esset, significari eaque de causa Passeratii emendationem nulla praestare et in textum recipiendam esse censet. Nobis cum neque horum neque illorum coniectura satisfaciat, alia interpretandi ratio quaerenda videtur. Diligenter enim contuentibus nobis versum 30 qui de anni temporibus retro ducendis agit neque mutorum neque nullorum fluminum in vastum pontum defluxus satis illi versui videtur respondere.

Quamobrem codicum scripturam integram iudicantes vocem multa non mutandum esse putamus. Verba autem vasto ponto non dativo casu, sed ablativo explicanda sunt". De summa re assentior Rossbergio sic scribenti, sed tamen medela egere locus mihi videtur. Quod vasto ponto et **in** vastum pontum et **ex** vasto ponto verti potest, me adducit, ut pro vasto quo epitheto carrere possumus cum Burmanno retro coniciam; sed ne sic quidem placet multa, quod magnopere languere nemo non sentit; praesto tamen est eiusdem Burmanni emendatio pro multa **alta**

legentis. Tota autem emendatio egregie confirmatur imitatione nostri versus, quam legimus apud Ovidium, Trist. I, 8, 1. 2:

in caput alta suum labentur ab aequore retro
flumina, conversis solque recurret equis.

ELEGIA XVI.

8. semper et exclusis signa iacere faces.

Nondum inter se consentiunt viri docti, utrum lectio codicum exclusis servanda sit an cum Lipsio (Lib. III, Var. Lect. C. 12) exclusi scribendum. Exclusis a Postgatio (Sel. El. p. 83) sic explicatur: „The faces lying on the ground shew shut-out lovers that a more fortunate rival is within". Phillimorius eodem fere modo exclusis tuetur, quod (Translat. p. 24) vertit: „and torches lying as tokens for the rejected that the door is shut against them".

Sed hic sermo est de corollis facibusque, quas exclusi amantes proicere solebant ante ianuam, „si noctem illic vigilem frustra peregissent, ut mane praetereuntes scirent non valde pudicam aut castam illic habitare et ideo conqueri ianuam, se pudorem dominae suae non amplius defendere posse, quae ipsa famae suae non parceret." cf. Ov. Am, I, 6, 67:

at tu, non laetis detracta corona capillis,
dura super tota limina nocte iace.
tu dominae, cum te proiectam mane videbit,
temporis absumpti tam male testis eris.

Probo igitur Lipsii coniecturam.

11. 12. Complures viri docti hoc distichon non suo loco legi putaverunt: quin etiam Lachmannus aliquando spurium duxit, postea tamen post versum 48 transposuit eumque secutus est Vahlenus. Sed merito Otto (Die Versumst. I p. 5) hanc transpositionem

impugnat L. Muelleri verba citans: „concinnitas evertitur sententiarum, si alio quam qui initio (1—10) fuerat sensu carmen clauditur".

Baehrensius aliam viam ingressus versus 9. 10 et 11. 12 inter se transposuit; sed pronomen illa non potest adhiberi, antequam de domina audivimus. Sed alia accedit causa, quare distichon 11. 12 transponi nullo modo possit. Quod bene intellexit Otto, qui locum recte interpretatus est: „Gerade die infames noctes und die carmina obscena sind es, welche Cynthia um ihres guten Rufes willen von ihrem Wandel zuruckbringen sollten und denen zum Trotz (tamen) sie ihr anstössiges Leben fortsetzt".

11. 12. nec tamen illa suae revocatur parcere famae,
turpior et saecli vivere luxuria.

Haec si salva lingua interpretari volumus, hanc nanciscimur sententiam: non persuaderi potest ei, ut famae parcat et turpius vivat luxuria saecli.

Rothsteinius autem pro hexametro poetam dicentem fingit: pergit famam contemnere et ita turpior vivere eqs. optime sequuntur.

Talibus explicationibus [1]) ex quavis sententia Latina extrahere possumus, quodcumque volumus.

Hoc loco Fonteinii coniectura purior difficultatem tollit.

13. 14 has inter gravibus cogor deflere querelis,
supplicis a longis tristior excubiis.

Has inter Rothsteinius sic explicat, ut has inter noctes supplendum sit, quod mihi absurdum videtur, non solum propterea quod nimis longe distat has a voce noctes, sed etiam quia inter noctes parum Latine dictum videtur.

---

[1]) Idem valet de Postgatii (Select El. p. 83) explicatione: recalled to spare and from living etc. Is tamen in editione 1894 opinionem mutavit.

Huic incommodo Passeratius non male obviam iit scribendo haec inter; sed qui factum sit, ut has in haec abiret, minus facile intelligitur. Quapropter ego probo ingeniosam Scaligeri coniecturam:

has inter gravius cogor deflere querelas

Quam facile gravius in gravibus mutari potuerit, demonstrato non opus est.

Deflere intransitive adhibitum admodum rarum, sed Postgatius (Select El. p. 84) confert Plin. Ep. VIII, 16, 5: est enim quaedam etiam dolendi voluptas: praesertim si in amici sinu defleas, apud quem lacrimis tuis vel laus sit parata vel venia.

17. ianua vel domina penitus crudelior ipsa

Burmanni coniectura elegans precibus pro penitus collato Vell. II, 27, 1:

„penitusque Romano nomini infestissimus" mihi quoque ut plerisque non necessaria videtur. Librarios precibus, quae vox sescenties legitur, in penitus vocem hoc sensu rarissimam corrupisse non verisimile videtur.

22. Plerique editores hoc versu turpis, quod legunt O, in tristis mutant. Iniuria. Broukhusium: „quid sit turpe non curant amatores, quibus utique inutilis est pudor" scribentem recte refutat Risbergius (p. 7) allatis: Prop. II, 16, 35:

a pudeat certe, pudeat! nisi forte, quod aiunt,
turpis amor surdis auribus esse solet

et: III, 21, 33: turpi fractus amore.

Confer etiam Rothsteinium.

23. Me mediae noctes, me sidera plena iacentem,
frigidaque Eoo me dolet aura gelu.

Rothsteinius et Phillimorius plena integrum ducunt, ille allatis compluribus locis, unde fortasse patet plena sidera

salva lingua dici posse; mihi tamen persuasum est Volsci commentum prona unice verum esse. Si enim singula verba accuratius perpendimus, videmus hoc loco adhiberi adiectiva nobis molestias quibus amator obnoxius est clare ante oculos ponentia. Plena sidera autem nihil dicunt; prona vero i. e. cadentia sidera misero amanti clamant: „mox dilucescet[1]), cave maneas ante ianuam, ludibrio habeberis a praetereuntibus; infecta re domum abire poteris".

Praeterea comparanda est utilissima Broukhusii ad hunc locum annotatio.

38. quae solet irato dicere tota loco

Sic O. Rothsteinius pro tota cum Beroaldo tuta edidit. Sed eius lectio tam contortam flagitat explicationem, ut de ea tacere praestet, praesertim cum melior lectio iam inventa sit. Credo enim pro toto editionem Rheginam (1481) recte dedisse: turba. Turba optime dicitur de iuvenibus petulantibus qui nocte per vias vagantur. Reliqua pars versus facile restituitur, si observationem Phillimorii in nostrum usum convertimus. Is autem in apparatu editionis suae adnotat: „L a littera I in codice Neapolitano vix dinoscas". Quid igitur?

Versus iam sanus est, si cum Heinsio loco in ioco mutamus? Non opinor, nam lepida atque vera est Kraffertii adnotatio (Beiträge p. 141) „Heinsius' ioco (ist) wirklich ein iocus, da Schimpfen im Scherz keinen Sinn hat". Dixi versum nondum sanum esse, sed longe aliter de Heinsii invento iudicabis, si aliam lenissimam correctionem admittes: ingrato pro irato, quod vitium saepius in hoc libro redit, cf. I, 6, 10. Totum versum igitur sic edere velim:

quae solet ingrato dicere turba ioco.

cf. Ov. Fast. III, 738: non habet ingratos fabula nostra iocos,

---

[1]) Macrobius Sat. I, 3: primum tempus diei dicitur mediae noctes inclinatio.

ad quem locum Peter adnotat: „ingratos (unwillkommene) iocos: wie sonst wenn von den lasciven Begleitern des Gottes die Rede ist".

42. Nixa quod Postgatius suspectum habet non mutandum censeo; nam si cum Graevio Heinsioque pro nixa **fixa** restituimus, mihi non placet oscula gradibus dari, cum sermo ad ianuam sit. Oscula nixa cum Paleyo interpretor: ego nixus gradibus etc.

48. Cum Marklando, cui adstipulantur Muellerus Baehrensius Postgatius Hartmanus, pro aeterna **alterna** lego.
Nam si aeterna legimus, „ineptissime ταὐτολογεῖ oratio", ut Muelleri verbis utar. Iniuria autem Rothsteinius semper ad amantis pertinere contendit. Contra Phillimorium observo non deferor, sed differor cum V esse legendum.

ELEGIA XVII.

3\. 4. Nec mihi Cassiope solito visura carinam,
omniaque ingrato litore vota cadunt.

Unusquisque, cui virorum doctorum opiniones ignotae sunt, si hic de Cassiopa leget, putabit Propertium cogitare de sidere notissimo.
Hertzbergius autem et Iacobus hic de Epiri Corcyraeve portu Cassiope sermonem esse contendunt, quibus Rothsteinius adstipulatur.
Deinde solito sic explicare conatur Rothsteinius: solito, „wie gewöhnlich", bedeutet nicht etwa, dass der Dichter selbst diese Reise schon öfter gemacht hat, sondern weist darauf hin, dass, während im allgemeinen die Schiffe ihr Ziel erreichen, gerade ihn ein besonders unglückliches Schiksal trifft.

Melius iam Lachmannus: „(solito) mercatorem facit Propertium nostrum".

Multae [1]) coniecturae propositae sunt, quarum lenissima est Kraffertii [2]):

nec mihi Cassiope s o l i d o visura carinam.

Is praeterea Cassiopen sidus esse nostro loco iure putat; haec sunt eius verba: „bei der Cassiope eher an ein obskures Städtchen — und überdies gab es zwei dieses Namens — als an das allbekannte Gestirn dieses Namens, hier die Repräsentantin der Sternwelt, zu denken, basiert auf d e r m e n s c h l i c h e n N e i g u n g, d a s N ä c h s t l i e g e n d e a l s z u s i m p e l v o n d e r H a n d z u w e i s e n".

25. 26. at vos, aequoreae formosa Doride natae,
candida felici solvite vela choro.

C h o r o N; n o t o DV; utrumque defendi potest: Housmanus (JPh. XXII, 92) non habet, quod alterum alteri praeferat.

Baehrensius more suo lectionem DV veram ducit.

Equidem non dubito quin cum N A F c h o r o legendum sit; cum c h o r o difficilius sit ad intelligendum quam n o t o, n o t o coniectura videtur eius, qui faciliorem lectionem excogitare

---

[1]) Paleyus: nec mihi Cassiope solito visura carinam est
omine, et ingrato litore vota cadunt.

Kühlewein (Festgr. f. Heerwagen p. 2):
nec mihi Cassiopes saltum visura carina.

Richards (CR. XIII, p. 15)
nec mihi Cassiope saltem visura carinam.

Otto (BphW. 1884) nec mihi Cassiope stulto visura carinam.

Palmer (CR. II, p. 38)
nec mihi Cassiope solo visura carinam.
solo = soli.
Idem (Ha, XII, p. 98):
nec mihi Cassiopes litus visura carinast.

[2]) Phil. XXI, 684; Beitr., p. 141.
cf. Liv. 44, 5: solido procedebat elephas
Verg. Aen. XI, 427; multos in solido rursus fortuna locavit.

voluit. Solbiskyus (De Codic. Prop. p. 143) ingeniose suspicatur aliquem in voce c h o r o cogitasse de vento, qui est c o r u s vel c a u r u s, atque metri causa n o t o reposuisse. Neapolitanum igitur verum servasse credo.

11. 12. an poteris siccis mea fata reponere ocellis
ossaque nulla tuo nostra tenere sinu?

„Fata reponere", inquit Rothsteinius, „kan hier nichts anderes heissen als die Leiche bestatten" [1]) sed sic sententiam habemus, quae neque cum pentametro neque cum versu 8 congruit.

Eodem modo Phillimorius nostrum distichon Anglice vertit: „Will you have the heart to see my mortal being consigned to rest, and never a tear in your eye—never hold my bones to your bosom"?

Quanto melior erat Italorum coniectura f a t a o p p o n e r e quam Paley recte vertit: to present my fate to your (mind with tearless) eye.

Baehrensius tamen, qui r e p o s c e r e coniecit, contendit o p p o n e r e tali sensu Latine dici non posse; quid de hoc loco Ciceronis (Pro Quintio 47) dixisset vir doctissimus?:

Pericula intendantur, formidines o p p o n a n t u r (i. e. ante oculos vel animum ponantur) etc.

28. Iniuria Postgatius cum Housmano legit p e c t o r i b u s pro l i t o r i b u s, cf. explicationem Rothsteinii.

ELEGIA XVIII.

9. Quid tantum merui? quae te mihi carmina mutant?

C a r m i n a, quod multi editores hodierni cum codice Pucciano

---

[1]) sic quoque: sepelire cineres Otto (H. 23 p. 25); cf. Postgat. (Class. Rev. XIII, p. 62).

in crimina mutant servatur atque defenditur a Tyrrellio (Ha. III, p. 118) Rothsteinio Phillimorio. Si tamen elegiam nostram attente perlegimus, videmus poetam qui non intelligens, quam ob causam Cynthia sibi frigida sit initio versus exclamet: quid tantum merui se defendere negando aliam a se puellam Cynthiae praelatam esse vel unquam praelatum iri: cf. vs. 10, 17. De carminibus magicis nusquam quicquam in carmine legimus.

15. Flendo bene contra Baehrensium qui per me coniecit defendit Rothsteinius.

17. Signa mutato colore a Rothsteinio explicatur: „Liebeszeichen, die in der Veränderung der Gesichtsfarbe bestehen". Utique scribendum est calore, cf. nostram adnotationem ad I, 10, 13.

20. fagus et Arcadio pinus amica deo
amica NAF; amata DV, quod Baehrensius praefert. Utrumque defendi potest, sed Neapolitani lectio vera videtur, cum amata usitatius sit.

21. a quotiens teneras resonant mea verba sub umbras,
scribitur et vestris Cynthia corticibus!
Versu vicesimo primo, si Rothsteinio credimus, umbrae folia intepretanda sunt, quam opinionem defendere conatur hisce locis: Tib. II 5,95:

Tunc operata deo pubes discumbet in herba,
arboris antiquae qua levis umbra cadit.

Ov. met. V 336: nemorisque levi consedit in umbra,
ubi in editione Haupt-Ehwaldiana tamen recte explicatur: „levis: leicht und gelinde: so heisst der Schatten im Gegensatze eines zu düsteren und schweren".
Verg. ecl. V 5:

sive sub incertas Zephyris motantibus umbras.

Hic quoque locus non aptus est ad usum vocabuli umbra illustrandum; possumus enim vocabulo umbra suum sensum dare, si ante oculos habeamus, ut „foliis et fronde arborum leviter ab aura motis ipsa umbra micet et contremiscat" [1]). Loci igitur ab Rothsteinio citati non apti sunt, qui nostrum versum explicent tueanturque, neque tamen cum Postgatio aliisque Koppiersii coniecturam, quae versum sic refingit:

a quotiens vestras resonant mea verba sub umbras,
scribitur et teneris Cynthia corticibus,

recipere velim, cum alii loci nos credere cogant umbram pro fronde interdum adhiberi:

cf. Calpurn. Ecl. 5, 101: tremulas non excutit Africus umbras

Verg. Ecl. 9. 20: quis humum florentibus herbis
spargeret, aut viridi fontes induceret umbra?

Sed non solum folia, sed omnino quidquid umbram praebet, — rami, ipsae arbores — voce umbra significantur.

Silius Ital. 4. 681: agit undique flammas
dispersus ripis ignis, multosque per annos
nutritas fluvio populatur fervidus umbras

Val. Flacc. 7. 55: ante meus caesa descendet Caucasus umbra.

Si quis talium locorum memor est, sanum esse concedet versum 37 libri III, 13:

pinus et incumbens lentas circumdabat umbras,

quamquam Baehrensius, cui Postgatius adstipulatur, lentis, Cornelissen (Mn. N. S. vol. VII p. 104) densas, Housmanus (JPh. XXI, p. 191) laetas ex F codicis lectione letas coniecerunt.

23. Miror plurimos editores hoc versu traditam lectionem:

an tua quod peperit nobis iniuria curas

---

1) Utor verbis Chr. G. Heynii ad Tibull. II, 5, 96.

defendere. Audiamus unum ex iis, Barthium, qui haec annotat; „pudetne te mihi causam fuisse dolendi? et idcirco conscientia criminis territa vereris ad me accedere? at ego vix memini quas acceperim iniurias." Sed versu 5 de Cynthiae fastu queritur: superbam autem non pudet iniuriae, cuius causa est.

Contrahamus autem, ut quam firmissimis argumentis nitamur, totum locum in brevius: „Cur me non recipis, Cynthia, quid tandem merui? (et nunc crimina enumerat:) Estne aliqua puella causa tuae irae? At nullo nostram intravit domum. An de nostra fide constantiaque dubitas? At semper tuum nomen canto; arbores mihi testes sunt". Et nunc animum attendas: „an quia iniuria tua nobis curas peperit?" Si Barthio credimus, poeta hoc vult: „an te pudet ad me venire", sed estne hoc vitium poetae?

Rothsteinii explicationem si sequimur, nobis sic supplenda sunt poetae verba: „an putas me idcirco minus fidelem fuisse, quod iratus essem ob iniuriam abs te acceptam". Explicatio contorta; sed quis non videt sic nos praeterea circulo vitioso disputare; nam quid terrarum hoc est: Cynthia non venit, quia putat poetam infidelem esse, quod ipsa non veniat?

Cum Italis scribe: a tua q u o t eqs.

27\. pro quo divini frontes et frigida rupes
et datur inculto tramite dura quies.

His versibus poeta queritur amorem se cogere, ut sese a coetu hominum vitaque urbana recipiat in solitudinem; tristis omnia atris coloribus depingit: frigidae sunt rupes, dura est eius quies inculta in silva; si haec nobiscum reputamus, facere non possumus, quin miremur, d i v i n o s (!) q u o q u e f o n t e s poetam memorare ad miseram suam vitam depingendam.

Ridicule haec ita explicat Rothsteinius ut dicat poetam non iam vinum, sed aquam bibere; potestne quicquam absurdius excogitari? Ne longis utar ambagibus: vocabula d i v i n i f o n t e s, licet reperiantur in C I L, nostro loco ferri non possunt. Varia

excogitavere viri docti: Ellis (JPh. XV, p. 12) Clusini fontes, sed nomen proprium hic non exspectamus; multis placet Heinsii inventum: dumosi montes; mihi multo melior videtur Postgatii coniectura: mi nudi. Equidem etiam de hac correctione cogitavi:

pro quo mi duri montes et frigida rupes;

duri montes cum frigidis saxis coniuncta leguntur: I, 20, 13;[1]) montes et fontes saepius confunduntur, cf. III, 19, 6, ubi N D V legunt fontis, F montes, et vide nos ad I, 20, 50.

ELEGIA XIX.

5. non adeo leviter noster puer haesit ocellis

Sic cum N Rothsteinius et Phillimorius; lege tamen cum V m 2: nostris.

10. Thessalus [2]) antiquam venerat umbra domum

venerat N; verberat D V, in qua lectione aliud latere censet Baehrensius. Ipse dubitanter pervolat conicit, Rossberg (Jahrb. Kl. Ph. Fleckeisen, 29 p. 69) verterat collato 1, 16, 28; praesens tamen ferri non potest. Ego malim cum Solbiskyo (p. 143) et Housmano (JPh. XXI, p. 183) in eam inclinare sententiam, ut merum librarii errorem in D V subesse credam.

13. illic formosae veniant chorus heroinae

sic N; DV: veniat, decepti sequenti verbo chorus. Pro formosae cum Housmano (JPh. XXI, p. 184) formosus scribendum est, cum Latine non dicatur: formosae heroinae, chorus.

18—20. En locus difficillimus, de quo varie disputant viri Propertiani.

---

[1]) si recte locum correxi; cf. Ov. Met. XIV, 557.

[2]) Thessalis: DV; non recte.

Phillimorius versum 19 sic interpretatur: „oh that you might feel this when you are alive and I am a charred ember"; et profecto possunt verba tradita sic verti, quoniam cum *meâ* .... *favillâ* comparare licet II, 9, 52: mortem ego non fugiam morte subire tua, sed aliam hic sententiam exspectamus, ut recte observavit Baehrensius (Proleg. XVIII): „rem sibi gratam iucundamque cupere debet is cuius deinceps haec sunt verba, tum mihi non ullo mors sit amara loco". Quod tamen ipse proposuit Baehrensius:

quae cum mixta mea possim sentire favilla

mihi non placet, quod *viva* et *mea favilla* inter se opponi apparet. (cf. Ottonem, H. 23, p. 26)

Aliud argumenten quod ego adferam ad demonstrandum textum traditum corruptum esse est, quod quisque verba tradita legens putabit *quae* ad *ossa* pertinere.

Quas ob causas locum sic scribere velim:

15. quarum nulla tua fuerit mihi, Cynthia, forma
gratior et (Tellus hoc ita iusta sinat [1])
17. quamvis te longae remorentur fata senectae,
cara tamen lacrimis ossa futura meis;
19. *quas* viva mea *te possit* sentire favilla:
tum mihi non ullo mors sit amara loco

Postgatii [2]) usus emendatione qui confert Ov. Trist. III, 3, 81—84:

tu tamen extincto feralia munera semper
deque tuis lacrimis umida serta dato.
quamvis in cineres corpus mutaverit ignes,
sentiet officium maesta *favilla* pium.

22. abstrahat e nostro pulvere iniquus Amor

e: O, Palmerus: *heu*; melius a, quod scribitur ex Volsci coniectura.

---

1) sic cum Leone (RhM. 1880) interpunxi.

2) cf. on certain manuscripts of Propertius, p. 79—81.

ELEGIA XX.

3. 4. Saepe imprudenti fortuna occurrit amanti
crudelis Minyis dixerit Ascanius.

Dixerit versu 4 duas praesertim ob causas suspicionem movit; nonnulli enim dixerit non de eo qui iniuriam facit, sed de eo solo qui accipit adhiberi posse censent; accedit, quod uno Neapolitano excepto omnes dixerat exhibent. Quas ob causas verum inveniri non posse, nisi a lectione O proficiscaris, statuunt. In eorum numero sunt Baehrensius qui more suo quam maxime potest lectiones O defendere atque commendare studens pentametrum ita edidit:

crudelis Minuis sic erat Ascanius,

Postgatius, cuius emendatio, si omnino mutandum est, magis placet:

saepe imprudenti fortuna occurrit amanti
crudelis: Minuis hic erat Ascanius,

Housmanus, cuius invenusta coniectura omnino reicienda est; is eodem modo interpungens atque Postgatius proponit (JPh. XVI, p. 3)

Minuis trux erat Ascanius.

Contra primum argumentum, quo dixerit damnant viri docti, confero III, 15, 11, ante quem versum cum Fischero ponendos esse vs. 43, 44 postea videbimus. Dirce autem Antiopen quam cum coniuge suo rem habuisse suspicatur gravissimis afficit poenis. Feminas in odio suo perseverare, si nostrae aetatis scriptores tali exemplo probare velint, non dicant: Dirce nobis testis est, quam saeva sit femina irata, sed Antiope experta haec testari potest.

Futurum autem, quod dicitur exactum, hic pro simplici adhibuisse Propertium putat Rothsteinius ad I, XV B, 30; ego dixerit pro coniunctivo habeo (= εἴποι ἄν)

Ergo hoc quoque loco N verum servavit prae ceteris codicibus.

5. est tibi non infra speciem, non nomine dispar,
Thiodamanteo proximus ardor Hylae

Pro *speciem* Postgatius *specie* legit ex coniectura Heinsii, sed *infra specie* pro *inferior specie* defendi posse non credo, neque melior est correctio Baehrensii *impar* pro *infra*: sic enim *impar* et *dispar* uno eodemque versu invenuste coniunguntur; sed recte habet vulgata: est tibi amasius neque infra speciem Hylae neque nomine dispar.

cf. Hor. Sat. II. 1. 75: quidquid sum ego, quamvis
infra Lucili censum ingeniumque . . .

7. hunc tu, sive leges umbrosae flumina silvae,
sive Aniena tuos tinxerit unda pedes,
9. sive Gigantea spatiabere litoris ora,
sive ubicumque vago fluminis hospitio,
11. Nympharum semper cupidas defende rapinas.

Non possum post longas virorum doctorum deputationes credere *Umbrosae flumina silvae* sic a Propertio esse scriptum, cum versibus 8 et 9 diserte locorum nomina addiderit. Generaliter enim versu decimo demum loquitur.

Neque tamen Scaliger verum invenisse videtur *Silae* scribendo pro *Silvae*, cum Nissenius (Italische Landesk. I, 246) doceat Silam habendam inter regiones Italiae maxime incultas, a nullo fere viatore peragratas.

Equidem cum Hoefftio legere velim:

hunc tu, sive leges *Umbrae sacra* flumina silvae.

Versu 11 verborem ordinem melius in DV quam in AFN servatum esse monitus ab Housmano pro certo habeo: est enim mos Propertii in versus altera parte substantivum ponere, in altera adiectivum ad id substantivum pertinens: cf. Housm. JPh. XXI, p. 171, et meam ad IV, 7. 7 adnotationem.

Praeterea cum Italis *cupidus . . . rapinis* corrigo.

12. Quid versu 12 pro adriacis (O) et versu 32 pro amadrias hinc (O) legendum sit, viri docti dissentiunt.

Versu 12 Baehrensius Hydriasin, Postgatius Hydriadas legunt, versu 32 illi En(h)ydriasin, Powelius (CR. XXII, p. 123) Ephydriasin collato Alexandri Aetoli versu (Meineke, Analecta Alexandrina p. 220):

αὐτὸς δ' ἐς Νύμφας ᾤχετ' ἐφυδριάδας,

servato a Parthenio XIV, 22 coniecit. Sed mihi audacissimum videtur tribus deinceps locis, — nam versu 45 pro Dryades cum Ungero Hydriades in textu ponunt — textum traditum mutare. Licet Apollonius diserte narret Dryadas a scelere abstinuisse:

αἵ γε μὲν ὑλήωροι ἀπόπροθεν ἐστιχόωντο

lectio tradita aequi bonique consulenda est; hamadryadum nomine enim fontium quoque nymphas signifari posse docet: Anth. Pal. VI, 189: *Νύμφαι ἁμαδρυάδες, ποταμοῦ κόραι,* quamquam hunc quoque locum corruptum esse Postgatius censet, qui cum Ungero *Ἀνιγριάδες* legere vult. Sed mihi haec petitio principii esse videtur, etsi libentissime viro clarissimo concedo ceteros omnes locos, quibus Hamadryades et Dryades cum Naiasin confundi putant viri docti, non recte explicari solere; confer doctissimam Postgatii interpretationem: Amer. Journ. Phil. XVII, p. 30 sqq., XVIII, p. 74 sqq.

Lego igitur versu 12 cum Struvio [1]) Adryasin et versu 32 Hamadryasin, quod Scaligerum primum dedisse contendit Hertzbergius.

13.14. ne tibi sint duri montes et frigida saxa,
Galle, neque expertos semper adire lacus

Dubitari potest, utrum cum Francio ne tibi sit (durum) montes eqs., quod Postgatius assumpsit, an cum Lipsio probante

---

[1]) Ann. Gymn. Regiomont. 1819. p. 4.

Baehrensio n e t i b i s i t d u r o s m o n t e s eqs. corrigendum sit. Hoc tamen eligo, ne m o n t e s suo careat epitheto.

Non opus est Livenei correctione e x p e r t o pro e x p e r t o s, quam recepit Baehrensius. Recte enim n e q u e e x p e r t o s = e t i n e x p e r t o s a Postgatio [1]) explicatur comparato Sil. Ital. 3,496: primus inexpertas adiit Tirynthius arces (sc. Alpes), ubi i n e x p e r t a s = nemini adhuc conscensas.

15. E r r o r hic vitio deberi, cumque Fonteinio a r d o r legendum esse non credo; quod vocabula i g n o t i s i n o r i s addita sunt, argumento est e r r o r [2]) recte se habere: errat enim Hercules in ignota terra Hylan suum quaerens.

21. Placidis, quod Heinsius in p l a c i t i s mutare voluit, servari potest collato III, 19, 7, placidum portum; cf. praeterea Lachmanni adnotationem.

23. 24. at comes invicti iuvenis processerat ultra
raram sepositi quaerere fontis aquam.

R a r a m a nonnullis viris doctis corruptum habetur, ex quibus Rutgersius s a c r a m, [3]) Fonteinius p u r a m proposuit. Sed iam Heinsius textum traditum defendit, qui in Notis ad Propertium p. 675 (a Burmanno editis, 1742) observat: „ideo longius processerat Hylas, quia rara aqua".

---

1) Select El. p. 94.

2) Nuperrime (CR. XXIV, p. 213) Phillimorius infelicissime coniecit:

quas miser ignotis erro perpessus in oris
Herculis indomito fleverat Ascanio.

Quis unquam poeta elegiacus Hylan H e r c u l i s e r r o n e m nominare ausus est. Quasi cum Plauto aliove comico nobis res esset! Et omnino absurdum est Hylan H e r c u l i s e r r o n e m vocare, quia semel in sua vita erraverit.

3) Idem coniecit Housmanus (JPh. XVI, p. 3), quod recepit Postgatius in edit. 1894.

29\. 30. ille sub extrema pendens secluditur ala
et volucres ramo submovet insidias.

Hic locus quem Burmannus maximo iure obscurum vocat inter difficillimos difficillimi poetae habendus est. Lachmannus, qui putat sibi nostrum distichon perspicuum esse, in editione illa (1816) haec adnotat: „Hylas non inepte se a Boreadum osculis defendit. Eorum alterum, cum supra caput suum suspensis palmis, ut oscula supina ferret, vagantem videt, sinistra manu extremam alam, hoc est, regimum pennarum longissimam arripit, itaque dum ille altius volare nititur, sub ala pondere deorsum tracta pendet, qua arte ab ore appetentis secluditur ac removetur: alterius volucres insidias ramo in dextram sumpto a se submovet".

Contra hanc explicationem satis multa afferri possunt.

Hertzbergius iure: „at sic, quaeso arreptus, inquit, quidni contraxit alas, ut delapsus in terram apprehendentem Hylam pedes et comminus a sinistra invaderet"? Is ala extrema interpretari vult brachiorum et umeri commissura. Sed in utriusque interpretatione vehementer displicet, quod nusquam in toto disticho quicquam legimus, quod nobis dicat in hexametro de altero, in breviore contra versu de altero Boreadum sermonem esse. Confidenter dicere audemus talem nostri distichi explicationem veram esse non posse; qui hic vocabula volucres insidias legit, de duobus Boreasin cogitat, non de uno ex iis.

Praeterea meam facio Hetzelii [1]) observationem: „(Hertzberg und) Lachmann muten Hylas die Kunstleistung zu, mit jeder Hand in verschiedener Weise sich zu wehren".

Melior igitur Rothsteinii interpretatio: „nur die Fuszspitzen sind von dem Knaben zu sehen, so dass der Eindruck des pendere

---

[1]) Beitr. zur Erklär. d. Prop. 1890, p. 9 sq.; ipse Hetzelius minus feliciter coniecit:
ilice sub densa pendens secluditur ala
et volucres ramus submovet insidias.

entsteht; der übrige Körper ist verdeckt, von der Welt abgeschlossen, durch die jetzt herabhängenden mächtigen Flügel der Ungeheuer, zu denen der kleine Körper des schwachen Knaben einen rührenden Gegensatz bildet." Sed non facile credam secludendi verbum nude positum nulla re ad explicandum addita verti posse: von der Welt abgeschlossen.

Scio me paucis persuasurum esse, cum multi hodierni philologi aperte corrupta defendere malint quam adhibita coniectura fortasse incerta, sed bonum sensum praebente in tenebris lucem afferre; equidem cum Hartmano miror Heinsii coniecturam nimis temere spretam esse, neque enim revera tam audax est, quam videtur:

ille sed extrema pendentes ludit in ala.

Quomodo eos ludat Hylas, docet sequens versus, quem nonnuli sic interpretantur, ut Hylas se in silvam prorumpat, ubi Boreades ramis impediti volare non possint, quod tamen vocabulo ramo non facile excuti possit; malo igitur locum sic intelligere, ut iuvenis, dum currit, supra caput ramum tollat, ne oscula carpere possint Calais et Zetes.

47. prolapsum leviter facili traxere liquore:
tum sonitum rapto corpore fecit Hylas.
49. cui procul Alcides iterat responsa, sed illi
nomen ab extremis fontibus aura refert.

Versus 48—50 corruptos esse non credo, sed agnosco Propertium paucissimis verbis plurima dicentem. Nam postquam Hylas in fontem tractus sonitum fecit, Hercules clamore perterritus amasium suum vocat, cumque nihil audiat, denuo eum vocat, ut ei clamanti vel potius sonum facienti respondeat.

Haec verba illa iterat responsa sibi velle mihi quidem persuasum est. Versu 50 tamen pro fontibus **montibus** restituo; describitur enim echo; si ex fontibus nomen reportatur

ad Herculis aures, non liquet, cur Hylas nomen tantum Herculis— Hylae nomen ex fonte reddi non potest—clamet neque plura addat, ut ab amante servetur.

51. 52 his, o Galle, tuos monitus servabis amores,

formosum Nymphis credere visus Hylan.

Quotiens breviorem huius distichi versum lego, haereo in participio v i s u s quod mihi languidissimum videtur.

Postgatius ingeniosissimam Palmeri coniecturam

formosum ni vis perdere rursus Hylan

in textu posuit; ubi tamen legimus Gallum amasium suum iam semel perdidisse, quod tamen disertis verbis addere debuerat poeta?

Quapropter Postgatio adstipulari non possum; equidem cum Heinsio corrigo:

formosum Nymphis credere c a u t u s Hylan;

priores litterae c a vocabuli c a u t u s facile omitti poterant r e praecedente; tum, quod reliquum erat, in v i s u s correctum est.

ELEGIA XXI.

Venimus nunc ad poematlum ad explicandum difficillimum, de quo quamvis multa scripta sint nondum recte, si non omnia me fallunt, ab editoribus nostrae aetatis iudicatur.

3. Versu tertio cum Lachmanno Postgatio Vahleno pro q u i d qui (pronomen relativ.) scribendum est.

5. 6. Sic te servato, ut possint gaudere parentes,

ne soror acta tuis sentiat e lacrimis

Lachmannus et alia annotat et haec: „Gallus militem fugiendo se ipsum, ut parentes gaudeant, servare iubet et fletum com-

pescere, ne soror, quam male res Perusina gesta sit, ex eius lacrimis sentiat". Sed prorsus non intelligo, cur Gallus amicum roget, ut lacrimas compescat: mox enim missis ambagibus audiet Gallum periisse.

In fine commentarioli observat idem: „duae res sunt, quas scire sororem Gallus cupit: se, postquam milites Caesaris evasisset, in ignotas manus incidisse, tum ossa, ne forte quaerat integrum corpus, in montibus Etruscis passim esse dispersa."

Sed s c i a t (v. 10) revocari non potest ad versus 7. 8; si cum Rothsteinio credis mandatum, quod versibus 7—10 continetur, a voce a c t a pendere, e textu tradito non apparet id quod Rothsteinius ipse addit: „er bittet ihn sie das Geschehene wenigstens nicht so s o f o r t aus seinen Thränen merken zu lassen." Mihi quidem persuasum est poetam, si haec dicere voluisset, diserte additurum fuisse; sed ubi legimus Gallum amicum monere, ne statim nuntiet, quae facta sint, sed ut sensim sororis animum praeparet, antequam acerbum suae mortis nuntium ei narret?

Quae incommoda tolluntur Jacobi lectione:

sic te servato [ut] [1]) possint gaudere parentes:
haec [2]) soror acta [3]) tuis sentiat e lacrimis.

9—10. et quaecumque super dispersa invenerit ossa
montibus Etruscis, haec sciat esse mea.

Hoc loco Neapolitani lectio q u a e c u m q u e tuenda est contra Postgatium (Sel. El. p. 105) et Phillimorium, qui cum codicibus DV quicumque praeferunt. Postgatius scribit: „I cannot believe that Propertius could have made Gallus say that all the bones on the mountains of Etruria were his". Sed primum non

---

[1]) delet Passeratius.

[2]) h a e c pro n e; Beroaldus; Kraffertius (Beiträge, p. 141) pro n e u t legit, quod praecedenti versu delevit; sed Beroaldi correctio lenior.

[3]) Scaligeri coniectura A c c a pro a c t a non necessaria est, dummodo a c t a interpretemur; ea, quae gesta sunt.

obliviscendum est Gallum morientem hic mandatum dare, quod amicus afferat sorori; cum alio, quicumque invenerit ossa, ei res non est. Rectam loci explicationem dedit Housmanus (JPh. XXI, p. 184): et licet soror mea sescenta alia invenerit, sciat haec ossa mea esse.

ELEGIA XXII.

3. Si Perusina tibi patriae sunt nota sepulcra.

Si *patriae* hic interpretamur: *nostrorum civium*, non neccessarium est cum Baehrensio scribere: *patrum* pro *patriae*.

3—5. Versus sic interpungo recepta Hartmani emendatione *sed* [1]) pro *sit* versu 6:

3. si Perusina tibi patriae sunt nota sepulcra,
   Italiae duris funera temporibus,
5. cum Romana suos egit discordia civis,
   (sed mihi praecipue pulvis Etrusca dolor:
7. tu proiecta mei perpessa es membra propinqui,
   tu nullo miseri contegis ossa solo):
9. proxima supposito contingens Umbria campo
   me genuit terris fertilis uberibus.

Versus 9 dubito, an corruptus sit.

---

[1]) sic quoque Kraffertius (Beiträge p. 141.)

LIBER SECUNDUS.

ELEGIA I.

2. unde meus veniat mollis in ore liber

ore N; ora A F D Vn. Hertzbergius Palmerus Phillimorius praeeunte Scaligero lectionem N in textu ponunt. Hertzbergius (Quaest. lib. II p. 142) haec annotat: „propriam praedicati vim non in verbo veniat, sed in mollis positam esse, ablativus post praepositionem in docet frustra a criticis tentatus".

Sed iam Burmannus veniat in ora iungenda esse intellexit; differunt enim venire in ora (Prop. III, 1, 24; 9, 32; Catull. 40. 5; Hor. epist. I, 3, 9) et esse in ore sc. populi (Ov. fast. VI, 528, her. XVI, 34).

5 sqq. sive illam Cois fulgentem incedere cogis,
hoc totum e Coa veste volumen erit;
seu vidi ad frontem sparsos errare capillos,
gaudet laudatis ire superba comis.

Verbum cogis (vs. 5), quod fere omnibus hoc loco suspectum vel vitiosum visum erat, a Vahleno (SPrA, 1882, p. 271 sq.) defensum est; si viro clarissimo credis, vim verbi cogendi hic attenuatam esse putandum est, quod ostendere conatur locum sic Germanice vertendo: „magst du sie nun im koischen Gewande glänzend einherzugehen bestimmen, so wird daraus ein ganzer Band vom koischen Kleid".

Ei adstipulatus est vir doctissimus Magnus (Jahresber. des Phil. Vereins zu Berl. IX, p. 266); in textum recepere Rothsteinius et Phillimorius.

Ego tamen Vahleni opinionem probare non possum adductus praesertim iis argumentis quibus Otto virum clarissimum impugnat (Versumst. I p. 6). Is autem sic disputat: „Zugegeben die abgeschwachte Bedeutung des Wortes c o g e r e (obwohl die des Drängens nie verloren geht), hier wo ein selbständiges Auftreten Cynthias (ingenium nobis ipsa puella facit) erwartet wird, würde jede Einwirkung von aussen dem Gedanken eine fremdartige Färbung geben. Und selbst wenn es wirklich für Cynthia einer gewissen Nötigung bedürft hätte, wenn sie ein koisches Gewand anlegen sollte, was schwerlich der Fall war, von welcher Seite sollte dieselbe gekommen sein und wer wird mit c o g i s apostrophiert"?

C o g i s igitur a Propertio non scriptum esse mihi quidem constat. Quaeritur nunc, quomodo versus emendandus sit. Baehrensius cum Lachmanno c o c c i s edidit, simulque tamen cum Fonteino versus 7, 8 et 5, 6 inter se transposuit. Qui c o g i s tamen leni c o r r e c t i o n e emendandum esse putant, me iudice errant; credere malim c o g i s nihil esse nisi dittographiam vocabuli C o i s quae *παραδιορθώσει* orta sit pro quo vocabulo aliud v e r b u m exspectamus. Sic transpositone iam non opus est: i l l a m pronomen primo tantum versu, quo nova sententia (5—16) incipit, recte se habet, ut iure suo observat Otto.

Maxime autem placet pro c o g i s cum Italis v i d i substituere, quod Palmerus quoque assumpsit.

9. sive lyrae carmen digitis percussit eburnis

Cum Heinsio lego: l y r a.

10. miramur, facilis ut premat arte manus

p r e m e r e m a n u s defenditur p r e s s o p o l l i c e III, 10, 14.

11. seu cum poscentis somnum declinat ocellos,
invenio causas mille poeta novas

Lachmannus annotat: „qui Latine scit, coniunget seu invenio: at id vetat sensus"; non tamen cum eo versus 5, 6 cum 9, 10 commutare velim; magis placet Baehrensii inventum:

seu iam poscentis somnum declinat ocellos.

Minus felix est Leonis coniectura (RhM. 1880, p. 431—447):

seu compescentes somnum declinat ocellos;

neque enim recte dicimus somnum ab oculis compesci.

27. nam quotiens Mutinam aut civilia busta Philippos
aut canerem Siculae classica bella fugae,
eversosque focos antiquae gentis Etruscae,
et Ptolomaeei litora capta Phari,
aut canerem + cyptum et Nilum, cum attractus in urbem
septem captivis debilis ibat aquis

cyptum N A; giptum f; cyprum D V

Baehrensius [1]) pro corrupto cyptum **Coptum** coniecit, sed recte observat Housmanus (JPh. XXII, p. 107) Volsci coniecturam Aegyptum leviorem esse: canerêegyptum e littera omissa, g littera in c mutata facilius in canerêcyptum corrumpi potuisse, quam cyptum ex Copton oriri. Solbiskyum (p. 147) qui contendit nudum nomen Aegypti, quam terram poeta verbis Ptolomaeei litora capta Phari et Nilo significarit, medium inter haec interpositum esse non posse refutavit observando vs. 27—30 de bellis Augusti, vs. 31—34 de eius triumphis sermonem esse, neque igitur cum Schradero coniunctiones et (vs. 30) et aut (vs. 31) inter se transponendas esse.

Restat, ut quaeramus, utrum versu 31 edendum sit attractus cum N, an atratus, quod Palmerus et Baehrensius coniecere. Tertia etiam exstat lectio tractus in DV, quae per se bonum

[1]) Lachmanni coniectura canere inciperem manum poetae non restituit, quia nomen hic latere veri simillimum.

praebet sensum, sed ea recepta non apparet, quomodo Neapolitani lectio ex t r a c t u s oriri potuerit; ante omnia igitur constat a Neapolitano esse proficiscendum, neque tamen a t t r a c t u s aptum ducitur contextui. A t r a t u s autem volgo defenditur his locis:

Verg. Aen. VIII, 711: magno maerentem corpore Nilum
Pers. VI, 47: ingentesque locat Caesonia Rhenos
Ov. A. A. I, 219:

atque aliqua ex illis cum regum nomina quaeret,
quae loca, qui montes, quaeve ferantur aquae;
omnia responde; nec tantum signa negabit
et quae nescieris, ut bene nota refer.
hic est Euphrates, praecinctus arundine frontem;
cui coma dependat caerula, Tigris erit.

Stat. Theb. I, 264: aerisoni lugentia flumina Nili.

His locis freti Solbiskyus (De Codic. Prop. p. 147) et Postgatius a t r a t u s verum duxerunt. Rectissime tamen observat Carolus Brandt (Quaest. Prop. p. 16): „simulacra fluminum ferculis per triumphum lata — agitur enim de Augusti triumpho anni 725 — arundine et aliis naturae eorum indicibus ornabantur; quomodo autem communi ac vulgari vestimento Romanorum fluviorum ficta poëtico artificis animo forma perdi et ars sculptoris velari potuit"?

Neque tamen cum eo c u m a h t r a c t u s scribere volo, quoniam haec interiectio apud nostrum aut imprecantis est aut dolentis; (cf. Kuttnerum, de Prop. eloc. quaest. 1878, p. 50 sq.) sed a t t r a c t u s integrum duco coll. Cic. ad fam. 7, 10: „nihil duobus nobis stultius: me qui te non Romam a t t r a h a m, te qui huc non advoles".

37. 38. Hoc distichon Burmannus et Postgatius (ed. 1894) aliunde illatum, Fonteinius Struvius aliique spurium ducunt; Keilius ante 37 aliquid intercidisse putat.

Veram explicationem dederunt Plessisius (Etudes Cr. p. 124 sqq.; cf. RPh. XV, p. 44) et Rothsteinius ad hunc versum, quem neque corruptum neque spurium aut a contextu alienum duco.

47. laus in amore mori: laus altera, si datur uno
posse frui: fruar o solus [1]) amore meo!

Uno hic cum Postgatio (JPh. IX, p. 65) pro dativo habeo, neque cum Hoefftio uni corrigendum esse puto. Comparandum est nullae (I, 20, 35), toto (III, 11, 57), cf. uni (gen.) apud Catullum XVII, 17, et de summa re: P. Heyman, In Propertium Quaestiones Grammaticae et orthographicae, p. 29; Neue Formenlehre II², p. 253 sq.; Roby Lat. Gr. I § 372.

58. Solus Amor morbi non amat artificem.

Iniuria Baehrensius Schraderi coniecturam habet assumpsit; amor (sic Baehr.) littera capitali scribatur: inde bonam sententiam nanciscimur: Amor spernit medicos.

66. Cum Beroaldo Tantaleae scribendum est; manu dativum esse librarius non intellexit neque hic neque II, 4, 8. Phillimorius Tantalea servavit!

67. Pro urnis legit Baehrensius umbris, quod placet L. Muellero; non habeo, cur vulgatam mutem.

---

[1]) Kraffertii (Beiträge zu Krit. u. Erkl. lat. Aut. p. 142) coniectura: salvus pro solus sententiam corrumpit: solus enim repetit uno (vs. 47); praeterea salvus nos adducit, ut quaeramus, num alii mortui amore fruantur,

ELEGIA II.

1. 2. Versus primum et secundum Scaliger hinc alienos putavit, eumque Postgatius in editione maiore (a. 1894) secutus est. Immerito tamen: nam 1⁰ in huius carminis initio aptissimi sunt, quia poeta in novo suo libro statim a primo inde versu nobis explicare debet, cur denuo amores scribat.
2⁰ transitus is est quem Propertius in deliciis habet: „Amoris insidiis captus sum, inquit, sed num hoc mirum est, cum tam pulchra puella in terris moratur"?

4. Ignoro recte se habere nunquam credam; nam audiamus unum ex iis qui illam vocem defendunt, virum doctum Gow sic scribentem (Transact. of the Cambridge Philological Society vol. II. 1883, 157): The Pentameter only requires a note of interrogation at the end to make it intelligible. „Am I ignorant of your old amours, Iupiter"? is Propertius' way of saying, „Were those amours realities?" The argument is that Iupiter's allowing Cynthia to remain on earth among men (humana) is a reason for doubting the truth of the stories of his attachment to the heroines of old.
Si quicquam, hoc certe obscurum est; Rothsteinii explicationem apud eum ipsum relegas, sed num ignoro te „ich kenne dich nicht mehr" significare potest, num ipsi ignorandi verbo talem sensum tribuere licet [1]? Fonteinius, qui ignoras ....tua? scripsit vitium sensit, sed facilior nobis medela loci corrupti offertur ipsis codicibus, nam in N eadem manus, quae ignoro, quod in textu legitur, scripsit, supra hoc verbum: t sco posuit [2]. Credo igitur virum doctissimum Otto (Hermes 23 p. 28) optimo iure commendavisse ignosco [3].

[1]) cf. Ribbeck. RhMPh. XL p. 497 Anm. 2.

[2]) cf. Birt, RhMPh. 64 p. 404. — Baehrensius errat in app. cr.

[3]) Ov. Trist. IV, 4. 8 aliquot mss. ignoras pro ignoscas.

6. incedit vel Iove digna soror.

Non credo haec verba recte tradita esse, nam primum aegre desideramus coniunctionem comparativam, deinde quis verba obscura: Iove digna soror vertere audebit cum Rothsteinio „incedit, ut puella digna quae vel Iovis coniunx esset”? Baehrensii coniectura solo pro soror languet; ego propono: ceu Iovis ipsa soror.

9. Qualis et Ischomache Lapithae genus heroine,
Centauris medio grata rapina mero;
Mercurio + satis fertur Boebeidos undis
virgineum primo composuisse latus.

Antequam dici possit, quid pro corrupto satis legendum sit, statuatur necesse est, utrum pro primo Turnebus recte Brimo scripserit necne. Inter eos, qui Brimo non recte emendatum esse dicunt, Hertzbergius [1]) Turnebi emendationem ideo spernit, quoniam Proserpina ea ipsa de causa, quod Mercurio sibi vim facere conanti restiterit, Brimo appellata sit, cf. Tzetz. Lycophr. 698; sed ad versum 680 idem Tzetzes annotat:

ἐπεισελθὼν τῇ Ἑκάτῃ τρεῖς ἔσχεν ἐξ αὐτῆς θυγατέρας.

Cum autem nomen desit in versibus 9. 10, neque Sais (Hertzberg) verum esse possit, ut Rossbergius (Lucubrat. p. 11) demonstravit, Brimo a Propertio scriptum esse apud me constat. Palmerus tamen et Postgatius cum Burmanno nostrum distichon sic edunt:

Mercurio Ossaeis fertur Boebeidos undis
virgineum primo composuisse latus;

quorum opinio vel ideo improbanda est, quod de Mercurio cum Ischomacha rem habente nihil traditum est. Sic Baehrensii quoque audacissima coniectura: sera viro sacris eqs improbanda.

---

[1]) Sais, Domitii Calderini correctio, quam Hertzbergius ipse et L. Muellerus (Mercurioque Sais scribens) receperunt, bene refutatur a Rossbergio (Lucubrat. Prop. p. 11).

Cum igitur constet Brimo esse legendum, intelligimus nexum deesse, qui duas illas fabulas inter se coniungat. Et hac quoque de causa, quod nexus deest, Phillimorii lectio:

Mercurio Ossaeis fertur Borbeidos undis
virgineum Brimo composuisse latus

vera esse nequit. Neque Hauptii coniecturam probo, quod fabula de Mercurii amoribus sic nimis a ceteris exemplis separatur[1]); melius igitur, quod Phillimorius conicit qualis, sed haec coniectura ductus litterarum parum curat.

Cum autem videmus versu 9 coniunctionem et non habere cui respondeat, versu tamen decimo tertio etiam falso legi in codicibus pro iam, Rossbergium (Lucubrat. Prop. p. 11) rem acu tetigisse intelligimus, cum post Mercurio illud et in eo exemplari, unde archetypus fluxisset, omissum esse suspicaretur et versu 13 falso a librario esse redditum. Quae si feliciter disputata sunt, apparet Rossbergium in versu restituendo sequendum esse, qui illud satis e sacris corruptum esse ratus totum versum sic legi voluit:

Mercurio et sacris fertur Boebeidos undis
virgineum Brimo composuisse latus.

ELEGIA III.

1. nullum; recte Heinsius: nullam, quod Phillimore non recte spernit.

Housmani transpositionem (11. 12 inter 16 et 17 locantis) non solum supervacuam, sed etiam falsissimam duco. Versus 11. 12 enim nullo modo explicari possunt, ubi Housman eos ponit.

---

[1]) Sensuum enim nexum potius qualis requirere observat et Baehrensius (Proleg. edit. p. XIX).

21. 22. et sua cum antiquae committit scripta Corinnae,
carmina quae quivis, non putat aequa suis

quae quivis: O; Rothsteinius supplet: quae quivis suis aequa putat, illa non suis aequa putat.

Haec explicatio mihi languidissima videtur, nam non miramur, quod Cynthia sua carmina meliora habeat quam ea quae quivis suis aequa putat.

Nomen celebre hic exspectamus; quivis nude positum plerumque cum contemptu dicitur, cf. I. 9. 4, II. 15. 37, II, 16, 15. Quid autem legimus in V (manu 2 scriptum)?: lyrines; idem invenimus in Groningano et in Urbinate.

Baehrensius has litteras coniecturam vel explicationem esse ad vs. 21 Corinnae censet; parum probabilis suspicio! Melius observat Ellisius (AJPh. I p. 393): „It is a fact, that readings not found in these first-class Mss., readings too, which from their character cannot be suspected as modern corrections, are not unfrequently far nearer the truth than those of Mss., which as a whole are much more reliable".

Si haec omnia nobiscum reputamus, quidnam venustius excogitari potest quam illud Volsci:

carminaque Erinnes non putat aequa suis.

Nomina Corinnae et Erinnes coniuncta leguntur Anth. Pal. IX, 26:

Ἤρινναν, Τελέσιλλαν ἀγακλέα, καὶ σὲ, Κόριννα.

Spernimus igitur coniecturas:
carminaque aequaevis (Scaliger),
carmina quae quaevis (A. Palmer, Ha. 2 p. 473).

23. non tibi nascenti eqs.
non N; scribe num cum F.

24. ardidus argutum eqs.

ardidus N; aridus DV; sed verum servavit Macrobius [1]): candidus, (vid. infra ad 42), quod melius est quam marcidas (Unger, Anal. 34), artibus (Peiper, p. 7), aureus (Heinsius).

25. haec contulerunt N; lege: haec (tibi) cum ceteris mss.; languide Palmer: haec (haec)

27. non non humani sunt partus talia dona
sunt partus O; partus sunt N.
Cur lectionem O veram habeam, dixi ad II, 34, 23.

29—32. Vel post omnia quae de his versibus disputavit Otto (Die Versumstellungen bei Properz I. p. 7) ordinem versuum ut in manuscriptis legitur servari posse non credo. Nam difficultas transitum intelligendi qui est inter 30 et 31 viri docti Otto observatione minime tollitur.
Is enim sic scribit: „Man hat die Steigerung übersehen, die in v. 31 im Vergleich mit v. 30 liegt; hier verheisst der Dichter seiner Cynthia nur die Liebe des Jupiter, dort auch die Erhebung unter die Götter selbst und die Unsterblichkeit, vs. 31 ist sonach keineswegs eine blosse Variation von vs. 30".
Sed, si poeta haec sibi vult, obscurissime exprimit; me gradatio illa (die Steigerung) prorsus latet. Praeterea ut nunc versus leguntur, facere non possunt legentes quin ex versu 32 statim post 31 sequenti coniciant Helenam quoque cum deis accubuisse. Hae difficultates facile tolluntur, si Lachmanno [2]) auctore versus 31 et 29 inter se transponimus.

33. Lego flagrat cum Fonteinio; indicativus requiritur, cum revera flagrare iuvenes poeta sciat.

---

[1]) grammat. lat. Keilii V. p. 626 15.

[2]) Sterkius transponebat 29. 32. 31. 30; sed recte Otto admonet sic transitum ad sequentia (vs. 34) perire.

39. Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles.
Rossberg (Fleckeis. Jahrb. Bnd. 127 p. 70) 39. 40 post 34 transponere vult, ut voci quidem suam vim reddat. Iniuria. Contextus enim perspicuus [1]) est. „Olim mirabar, inquit poeta, quod muliercula causa fuit belli Troiani, sed nunc, cum ipse pulcherrimam puellam habeo, defendo Parim, qui semper negabat, Menelaum qui in poscendo perseverabat. Etenim tam pulchra mea puella est, ut item atque Paris et Menelaus acturus fuerim." In Baehrensii coniectura sed haec pro quidem sed totum locum pessumdat.

40. Scribatur: vel Priamo (sic N) belli causa probanda fuit. cf. Rothstein.

42. Frustra C. Brandt Quaest. Prop. p. 8 Lachmannum secutus defendit, quod legitur in Neapolitano:

hic dominam exemplo ponat in ante [2]) meam

coll. Ovidii versu metam. II. 524:

Argolica quod in ante Phoronide fecit

et Propertii II. 20. 15:

ossa tibi iuro per matris et ossa parentis

Neutro autem loco citato ullo modo dubium esse potest, cum quo vocabulo praepositio coniungenda sit, sed nostro loco versus fit obscurissimus; accedit quod exemplo ponere usitatum est; quid tamen in exemplo ponere?
Praestat igitur cum Daventriensi arte legere, r et n saepius confunduntur (supra (c)andidus et ardidus).
Ubi nostra elegia finienda esset, Schraderus aliique quaesiverunt, neque hanc litem diremptam esse ex eo videmus quod viri docti Hertzberg Paley Phillimore finem faciunt in versu 54:

---

[1]) Sic iam Otto (Versumstellungen p. 7).

[2]) Miodonski, ZöGy. 1885, 741 inante = in posterum; sed hoc apud huius aetatis scriptores non reperitur.

mox Amythaonia nupta futura domo; Lachmannus Vahlenus Muellerus Postgatius Rothsteinius in versu 44:

uret et Eoos, uret et Hesperios,

ex quibus editor Britannus tamen versus 45—54 pro fragmento habet, qui praeterea Scaligero et Housmano praeeuntibus credit 45. 46 non cohaerere cum sequentibus. Postquam huc venimus, ut de lacunis et divisionibus carminum nobis agendum sit, pauca praemittenda esse censemus, quoniam tota haec quaestio difficillima, at dignissima est, in quam inquiramus. Nam nobis persuasum est tandem aliquando certum iudicium de talibus quaestionibus ferendum esse, ut editionem Propertii nanciscamur, quae sine molestiis legi possit.

Unusquisque autem qui aliquanto peritior est poetarum Latinorum Augusti aetatis, quamquam fortasse putat hodiernos poetas interdum mentem spirare sublimiorem vehementiusque nos iis commoveri, tamen elegiacos Romanos quidquid dicant ita dicere, ut non facile quicquam perfectius, magisque omnibus partibus absolutum fingere possimus, concedat necesse est. Praesertim student poetae, ut initium suorum carminum eiusmodi sit, ut cupido nos teneat, cognoscendi quid sequatur. Finis quoque ut in auribus nostris resonet, utque carmen digne claudatur, summa opera nituntur. Fere ubique, ubi evolvis nostrum, hanc observationem sponte facias. Si quis igitur contendit versum 54 finem elegiae esse, iam satis habemus, quare ei diffidamus. Quid autem elegantius, quid ad carmen claudendum aptius esse potest quam hoc distichon:

Uret et Eoos, uret et Hesperios?

„Quis ferat, inquit Lachmannus, post illa

Uret eqs.

ita pergentem:

His saltem ut tenear iam finibus,

quorum illud exsultantis est, hoc desperantis"?

Accedit quod vs. 45-54 optime cum sequenti elegia coniungi possunt.

His saltem ut tenear iam finibus; a [1]) mihi, siquis,
acrius ut moriar, venerit alter amor!

Quomodo cum sequentibus cohaereant, quaesivere multi; omnino cohaerere negant viri docti Housman et Postgate. Concedo si quis transitum quaerit ad versus

ac veluti primo taurus detrectat aratra,
post venit assueto mollis ad arva iugo

eum haesurum esse. Sed lege mihi quaeso totam elegiam quam Schraderus proposuit. Quid nobis dicit carmen? Estne unum an ex pannis consutum? Queritur poeta — beatus non iam [2]) est — quod puellae tam difficiles sint; Amorem quo nunc tenetur aliquatenus ferre potest, sed „a, si quis alter venerit amor". Nam quid amantibus ferendum sit, nimis bene scit. Primo licet amantes repugnent, deinde omnia iis ferenda sunt (III, 47 — IV, 7.) Contra amorem enim nulla medicina valet. Praestat autem pueros amare quam puellas.

Haec me quidem iudice bene cohaerent, neque intelligo cur Hetzel (zur Erklärung des Propertius, 1876.) scribere possit: „Ich halte es für das Richtige, einzugestehen, dass wir hier nur Trümmer einer Anzahl von Gedichten haben", neque cur Housmanus et Postgatius IV, 5, 6 a contextu alienos ducere possint.

IV 18. Pro manus cum Hartmano [3]) sine dubio manu (= manui) restituendum est; in vulgata gramina cocta cum genitivo iunctum languidissimum.

Disticha 9—10 et 15—16 [4]) locum inter se mutare iussit Postgatius, fortasse recte, neque tamen ordo traditus defendi non potest.

---

[1]) Sic cum F legimus.
[2]) cf. elegiam sequentem.
[3]) De Horatio Poeta p. 145.
[4]) 15. 16 post 8 transponit Birt.

ELEGIA V.

4. et nobis Aquilo, Cynthia, ventus erit.
Jam Burmannus intellexit ventum Aquilonem huc non pertinere; alio igitur coniecit. Melius Lachmannus: aliquo quod Phillimore non recte spernit.

10. affuerit N; afuerit, recte inscriptio Pompeiana (bullet. dell' istit. arch. 1875, 191).

18. parce tuis animis, vita, nocere tibi.
Pro tuis animis Leo coniecit (RhMPh. 1880, p. 440): parce iniusta nimis eqs., sed recte interpretatur Paley: ista ferocia: by that high spirit of yours.

21. nec tibi periurae scindam de corpore vestis.
Periurae est in DV et sic legit more suo Baehrensius. Ego malo cum NF periuro legere, cum exquisitior lectio hoc loco mihi vera videatur.

27. scribam igitur, quod non umquam tua deleat aetas [1])
Leo (l. l.): tibi deleat aetas; ego vertam nihil mutans: quod nun quam delere poteris, dum vives.

28. Cynthia forma potens, Cynthia verba levis.
Cur mirum sit poetam, qui modo vs. 21 Cynthiam periuram vocarit, nunc eam verba levem increpare fateor me non intelligere.
Prorsus igitur supervacuas habeo coniecturas:
verna levis (Peiper p. 5), lingua levis (Richards, CR. XIII, p. 15).

---

[1]) falsissimum illud Baehrensii: tua deleat acta.

ELEGIA VI.

Haec elegia multum torsit viros doctos. Nam postquam Lachmannus post versus 24, 26, 34, 36, 40 lacunas indicavit, omnes fere editores signa lacunarum posuerunt, donec tandem aliquando Carolus Brandt in suo libello cui titulus Quaestiones Propertianae (p. 21) integrum esse carmen primus demonstrare conatus est.

Otto (Die Versumstellingen bei Properz I, p. 8) carmen hoc modo restituere conatus est: 1—22, 27—34, 35, 36, 25, 26, 37, 38, 23, 24, 39, 40.

Alio modo Birtius (RhMPh XXXVIII, p. 206) carmen restituisse sibi visus est: 1—26; 35, 36; 27—30; 33, 34; 31, 32; 37, 38. De hisce transpositionibus fuse disputare et longum est et fortasse supervacuum; potius iis locis, ubi Lachmannus lacunam statuit, qui sententiarum nexus sit, paucis annotabimus.

Versus 1-22 bene cohaerere omnes concedunt, neque demonstrato opus est. Prima difficultas nascitur, si rogamus, quomodo 23, 24 cum praecedentibus cohaereant. Hanc Brandtius non tollit. Nam licet intelligere possimus poetam, postquam de morum pravitate questus sit, de antiqua pudicitia cogitare, quomodo haec cum duobus sequentibus versibus coniungere possumus? Sed omnia bene procedunt, dummodo duo illa disticha locum inter se mutent (25, 26, 23, 24). Nam post versum 22 ira abreptum poetam exclamare:

Templa Pudicitae quid opus statuisse puellis

optime intelligimus; et post exclamationem

si cuivis nuptae quidlibet esse licet

sponte de antiquis uxoribus et omnino de pudicis mulieribus cogitare adducitur. Nam Propertius tales exclamationes in deliciis habet. Eius carmina non rivulorum similia sunt leniter modicoque strepitu praeterlabentium, sed torrentis instar, qui spumeus et fervens de montibus decurrit.

27. quae manus obscenas depinxit prima tabellas

Quomodo haec cum praecedentibus cohaereant, perspicuum est: postquam enim poeta de corruptis sui temporis moribus questus est, sponte subit cogitatio, unde talis impudicitia Romam inquinaverit, culpamque in eos confert, qui primi obscenas illas tabellas pinxerunt.

33. non istis olim variabant tecta figuris:
tum paries nullo crimine pictus erat.

35. sed non immerito velavit aranea fanum
et mala desertos occupat herba deos.

Quomodo vs. 35 cum praecedentibus cohaereat, tum demum intelligemus, si veram huius versus lectionem restituerimus. Vulgatam vir doctus Paley sic interpretari conatur: „*non immerito*: not without good reason, i. e. no wonder the temples are deserted, when all regard for piety ist lost". Cum haec explicatio minus placeret, propterea quod quisque textum traditum legens inde efficiet, ut templa deorum *iure* deserta esse poeta dicat, Brandtius aliud commentus est. Is post *non immerito* sententiam incidit. Sed nemo post verba: *Sed non immerito* — id quod Brandtius vult — mente supplebit: tam corruptos mores deflemus. Quomodo autem versus corrigendus sit, nunc videbimus.

Hertzbergii coniectura

sed *nunc* immerito velavit aranea fanum

maxime placet Fleischmanno (Quaest. Prop. I Progr. st. ob. Gymn. Bielitz p. 1895); *immerito* tamen sic mihi languidum videtur; multoque magis mihi arridet Burmanni inventum:

sed nunc emeritum velavit aranea fanum.

37. „Nusquam igitur fides, nusquam pudicitia", sic questus est poeta; deinde exclamat: „In tanta morum corruptela quos tibi custodes dabo, mea Cynthia, quis ipsos custodes custodiet? Proinde te

oro atque obsecro, ut ipsa sponte tua fida maneas pudeatque te peccare". Neque hoc loco nexum sententiarum invenire difficile.

41. 42. Ultimum distichon a nostro carmine merito alienum ducunt Hetzel (Zur Erklärung des Propertius, 1876; Beiträge zur Erkl. d. P. 1890), Baehrens Hartman.

Versus ferri possent, si Cynthia fida esset, quod poeta initio huius carminis negat.

Nam quod Otto vult Propertium de sua ipsius fide loqui, („indem der Dichter in v. 41 u. 42 seine eigene Treue und Anhänglichkeit der Handlungsweise Cynthias kontrastierend gegenuberstelle, gewinne das Ganze einen wirkungsvollen Abschluss") primum ex versu 41:

nos uxor nunquam, nunquam seducet amica [1])

non sequitur, deinde quis versus aptior est ad carmen de mulierum impudicitia agens claudendum quam versus 40?

Haec habeo quae de carminis compositione observem; nunc nonnulla de singulis verbis addere volo.

12. me laedet, si multa tibi dabit oscula mater,
me soror et cum qua dormit amica simul

Si interpretari nolumus, me laedit soror, et amica, cum qua soror dormit, quod huc non quadrat, praestat cum Dousa legere: me soror et cum (= si) quae dormit amica simul.

32. J u r g i a hoc loco ferri non posse putabant Ruhnkenius, qui o r g i a coniecit et Herwerdenus (Mn. 1873 vol. I): t u r p i a coniciens.

Sed bene scribit Paley in sua editione (1872): „The quarrels and disputes of lovers, originating from what was meant tacitly

---

[1]) Sic enim egendum esse ad sequentis carminis versum 20 demonstrare conatus sum.

to please the eye. The latter being the secret source of the former are said condere, to conceal them". Voce tacitus quam Herwerdenus in placida mutare volebat Propertius saepius utitur; [1]) nostro loco pulchre inter se opponuntur vocabula: „Non tumultuosa haec laetitia est; tacite triste suum opus persolvit clam iurgia inter amantes exitans".

36. et mala desertos occupat herba Deos
Cum malae herbae, mala gramina de plantis venenatis dicantur, fortasse cum Heinsio legendum est:
et male desertos occupat herba Deos.
Desidero enim exempla, ubi mala herba idem sit atque Francogall. mauvaise herbe (Batave: onkruid).

ELEGIA VII.

1. Quamquam Hertzbergio (Quaest. lib. II p. 116) concedendum est Propertium in eodem carmine saepe a tertia persona ad secundam transire, tamen hoc versu non recte faciunt, qui, ut Phillimorius, Schraderi emendationem: gavisa es pro gavisa est spernunt, cum in hac elegia qua amicae gratulatur, quod molesta illa lex sublata sit, inde a primo versu poetam alloqui Cynthiam consentaneum est.

3. Hoc quoque loco luce clarius apparet, quantopere Neapolitanus ceteris omnibus codicibus praestet; solus enim ni (= ne) antiquam lectionem servat; Baehrensius a ceterorum lectione quis profectus frustra quod coniecit.

7. 8. nam citius paterer caput hoc discedere collo
quam possem nuptae perdere more faces.

[1]) cf. I. 4. 14.

more NF; amore DV'.

Viri docti hoc loco dissentiunt, utrum more scribendum sit, an amore. Postgatius Phillimorius Housmanus (JPh XXI, p. 185) more commendant, quibus adstipulatus est vir cl. Hartman. Solbiskyus, qui in libello, cui titulus de Codicibus Propertianis haec scripsit: „prorsus non assequor, quo consilio Baehrensius ex NF more receperit", ignorare videtur apud Terentium, And. 152 legi:

prope adest, quom alieno more vivendumst mihi,

ubi adulescens loquens inducitur, qui mox uxorem ducturus est. Praeterea amore in nostrum versum facile ex vs. 6 irrepere poterat, ut recte observat Housmanus (l.l.)

Quomodo prior pars carminis (1—12) cum sequenti cohaereat [1]), optime docet vir doctus H. Fleischmann (Progr. k.k. Staats-Obergymn. Bielitz, 1894/95): „Quam apte poeta magno dolori quo discidium illud et ipsum et Cynthiam affecturum fuisset, parvum commodum opposuit, quod rei publicae haec res tulisset! Id enim sequitur. Nam lex illa ab Augusto erat lata, ut iuvenes Romani iusto matrimonio geniti semper praesto essent qui in periculis patriam defenderent, triumphosque patrios (i. e. patriae) augerent. Qua re lectoribus Romanis notissima iure omissa optime poeta pergit:

Unde mihi patriis gnatos praebere triumphis?"

Cum autem Postgatium lateat quomodo nostrum distichon (13,14) cum sequentibus cohaereat — annotat enim vir clarissimus in apparatu critico qui dicitur: „15—18 hic alieni; quid enim Propertius miles ad Propertium patrem"? — quomodo haec pars carminis decurrat, paucis indicabo partim Fleischmanni verbis usus: „egone filios procreem qui militum nostrorum numerum augeant? semper amori deditus eram, militiam non curavi, nemo unquam ex nostra gente miles erat [2]), neque mihi igitur quicquam

---

[1]) Postgatius in editione 1894 sine causa lacunam statuit inter vs. 12 et 13.

[2]) cum Baehrensio erat lego.

cum militibus verisque castris est; at in Amoris castris Castor sum iisque gloriam meam debeo".

14. Cum Baehrensio [1]) pro erit erat lego. Pentameter causam nominare debet, cur Propertius non is sit qui liberos procreet exercitui Romano. Quam longis ambagibus opus sit ad textum traditum defendendum, ostendit explicatio Fleischmanni (Quaest. Propert. I. p. 18).

15. Hic versus a multis viris doctis pessumdatus est. Cum Beroaldo enim leni correctione ita legendus est:

quod si vera meae comitarem castra puellae

quod sic explico, „si castra meae puellae, (cf. Ov. Am. I. 9: militat omnis amans, et habet sua castra Cupido) quae sequor, vera castra essent, optimus miles essem".
Phillimorius nihil mutat legitque comitarent.
Sed pluralis nullo modo defendi potest, et absurdum [2]) sensum reddit.

20. hic erit et patrio sanguine pluris amor.
Vocabulum sanguine mihi corruptum esse videtur, cum credere non possim patrio sanguine significare posse: der abstrakte Begriff der Vaterschaft id quod vult Rothsteinius. Cum Postgatio (JPh. IX, p. 66) versum sic legere velim:

hic erit et patrio nomine pluris amor,

sanguine e versu 14 irrepsisse ratus.
Post versum 20 transponendi sunt versus 41, 42 praecedentis elegiae [3]):

---

1) cf. II, 34, 56.
2) cf. Paley .... the plural involves an absurdity, as it would convert a compliment into an insult.
3) Hartmano iudice C. VII primum clausit poeta disticho: „nos uxor - uxor eris", deinde id posuit quod nunc in nostri carminis fine legitur: „tu mihi - pluris amor".

nos uxor numquam, numquam diducet amica:
semper amica mihi, semper et uxor eris.

Praesertim pentameter aptissimus ad carmen nostrum claudendum: „numquam, inquit poeta, uxorem ducam, id quod toto carmine affirmat, tu et amica et uxor mea eris".

„numquam m e d u c e t amica" iniuria ab Ottone (Versumst. I, p. 8) defenditur; nam quam ob rem poeta in uno eodemque versu nulla metri necessitate coactus pronomina n o s et m e adhibuisset?

Collato versu 3 huius elegiae cum Lachmanno lego:

nos uxor numquam, numquam diducet amica.

ELEGIA VIII.

De hoc carmine opiniones editorum in tam diversas partes abierunt, ut operae pretium esse videatur eius integritatem, strenue defendere. Nam ipse Vahlen duobus locis lacunas esse credit, neque Rothsteinii explicatio ab omnibus partibus placet. Primam carminis partem Lachmann, auctor totius quaestionis, optime interpretatus est: „Reprehendis me, inquit, quod Cynthiam ab alio mihi ereptam doleo. At nihil quam in amore turbari acerbius. At dicis, nulla stabilis fortuna est; iure igitur amores quoque vertentur. Accipio, sed meus non vertitur, nam illa me numquam amavit. Fleischmann (Quaestiones Propertianae I p. 19) nullam lacunam esse credens sic scribit: ex antecedentibus vv. 11. 12 poeta rationem concludit, id quod coniunctio e r g o bene indicat: „Cynthia - inquit - meis muneribus carminibusque neglectis nunquam me amavit; ergo frustra, sine ullo eventu multos annos multum laborem multamque operam perdidi et temerarius (i.e. consilii expers) eram, quia finem debebam respicere, qui futurus esset amoris atque amicitiae Cynthiae puellae tam inconstantis".

Quamquam cum Fleischmanno credo viros doctos falso post vs. 12 et 16 signa lacunae ponere, eius interpretatio mihi minus placet. Nam exclamatio mihi hoc loco his versibus expressa valde languere videtur, praesertim propter n i m i u m. Si quis subito intelligit, quam turpiter deceptus sit a puella „nam sic etiam Rothstein locum interpretatur: „indem er bei der Vergansenheit verweilt, erkennt er erst jetzt, dass sie ihm auch damals seine Liebe slecht gelohnt hat" non tam languidis verbis utitur e r g o n i m i s s t u l t u s f u i. Quid igitur? „Numquam — sic poeta — dixisti: Amo, Cynthia; et quam ob rem? num igitur nimis audacem me gero [1]), qui tam multos annos exspectaverim si me amatura esses: iam [2]) dubito simne tibi unquam liber visus, an usque me pro servo tuo habitura sis, quin etiam certo scio te semper superbam in me fore, neque unquam me amaturam."

Transitus ad versus sequentes (17 sqq) cuique perspicuus. Sentiens se sine Cynthia vivere non posse: „Sic igitur prima moriere aetate, Properti" exclamat.

De sequentibus brevis esse possum, nam quomodo omnia cohaereant, bene explicatum est ab eodem Fleischmanno (Quaestiones Propertianae I, p. 20), qui contra Keilium aliosque recte monuit verba, „mecum moriaris oportet" non de aemulo, sed de ipsa Cynthia dicta esse, nam aemulum interfecisse non est inhonesta mors, at inhonestum est puellae mortem inferre (cf. Verg. Aen. II, 583).

Sic igitur carmen decurrit post 16: „Morere, Properti, etiamsi tuo interitu gaudeat Cynthia. Morere, ut mortuus est Haemon, sed tu, Cynthia non gaudebis, nam te occidam."

„Neque [3]) tamen fugit poetam, cum ita verbis in puellam saeviret, irae se nimis indulsisse. Quare excusare se studet

---

[1]) Hartman interpretatur: „Ben ik soms te aanmatigend, o gevoellooze."

[2]) Lachmanni verbis utor.

[3]) Fleischmanni verbis utor.

Achillis exemplo, qui omnia formosam propter Briseida passus est". Supervacuae igitur transpositiones partim audacissimae quas Lindner (Jahnsche Jahrb. 1864, p. 838), Kühlewein (Festgruss f. Dr. H. Heerwagen p. 6), Otto (Die Versumstellungen bei Properz I p. 9), Baehrens (in sua editione, vid. apparatum criticum ad elegiam nostram), Birt (RhM. 38, p. 208) proposuerunt.

10. et Thebae steterant, altaque Troia fuit
Plusquamperfectum cum pro perfecto, quod hic exspectamus, adhiberi non possit, cum Scaligero s t e t e r u n t corrigendum; idem vitium occurrit III, 24, 20; IV, 7, 15.

13, 14. Hoc distichon Hertzberg, quem Mueller et Rothstein secuti sunt, cum sequenti ita coniungit:

ergo iam multos nimium temerarius annos
    improba, qui tulerim teque tuamque domum,
ecquandone tibi liber sum visus?

Sed iure suo Paley in sua editione p. 68 negat e r g o e c q u a n d o n e recte coniungi.
Verbum e r a m facile suppleri posse bene observat Brandt (Quaestiones Propertianae p. 23).

31. Iniuria Passeratii emendationem: f u g a s t r a t o s pro f ú g a s t r a c t o s spernunt editores, praeter Baehrensium: versus Homerici ab Rothsteinio allati nihil ad rem. Apud Homerum *ἐρύειν* (trahere) de Patroclo mortuo bene se habet, nostro loco de Achivis fugatis sermo est.

37. at postquam sera captiva est reddita poena
s e r a N; s a c r a DV, quod Baehrensius more suo verum ducit, sed s e r a hic aptiorem esse quisque videt. Idem vitium occurrit II. 34, 25

    Lynceus ipse meus seros insanit amores,

ubi O habent s a c r o s. cf. Housm. JPh. XXI, p. 129 sq.

39. inferior multo cum sim vel marte vel armis
sic cum codicibus O edidit Phillimorius Propertium bis idem dicentem faciens; corrige tamen cum codice Laur. Vallae: m a t r e.

ELEGIA IX.

Ut elegia octava, quam modo tractavimus, haec quoque a viris doctis lacunosa habita est, neque tamen recte ut suo loco explicabimus. Nam usque ad versum 40 omnia bene procedere nemo infitias ibit.

2. Hoc versu Phillimorius iniuria sprevit lectionem e i e c t o codicis D prae e l e c t o ceterorum manuscriptorum: vide quantopere langueat sententia, si ita vertimus: sed fortasse mox alter carior tibi erit quam hic ipse quem elegisti.
Risbergius (Emendat. et explic. p. 11) quoque e l e c t o defendit, sed sententiam nimis exilem esse ipse ostendit sua interpretatione, cum verba aliquot addere ei necessarium videretur: „vehementius quidem e i e c t o est (!), sed cum irrisione quadam satis bene diceretur: mox alter carior erit quam hic ipse quem tibi [nunc carissimum] elegisti".
Praeterea e x c l u d e r e de viro, e i c e r e de femina dici suspicatur: cf. Prop. II, 21, 11; (Hor. C. III, 9, 20, quem locum ipse addo). Inanis suspicio, quod et alii loci et hic Plautinus docet: Asinaria I, 3, 9 (v. 161, Lindsay), ubi Argyrippus Clearetae lenae dicit:
quom tu med ut meritus sum non tractas (quom) que eicis domo.

7. quamquamHousmanni coniectura v i s u r a m pro v i s u r a palaeographice optime defendi potest, credo tamen cum Vahleno. (Monatsber. Kön. Preuss. Akad. d. Wiss. 1881, p. 341) v i s u r a sanum esse. Conferri potest quod vulgo citatur: s e n s i t m e d i o s

delapsus in hostes. Nam iniuria contendit Paleyus: „Virgil's well-known sensit medios etc. pertains to an idiom restricted to verbs of sense and perception" cf. Rothstein ad I, 16, 5.

Transpositio versuum 13, 14 ante 11, 12 quam proposuit Vahlen (Monatsber. Kön. Preuss. Akad. d. Wiss. 1881 p. 359) immerito spernitur a Rothsteinio; nam candida vesana verberat ora manu (vs. 10) et foedavitque comas separari nequeunt; sustulit ossa tum demum perspicua sunt, si dominum lavit sequuntur. Praeterea vocabula corpus maxima ossa impedimento sunt, quominus cum Rothsteinio de cinere cogitemus.

Miror vocabula et tanti corpus Achilli a multis atque iis celeberrimis criticis Muellero (praefat. p. XXVI) Rossbergio (Lucubrat. Prop. p. 13 sq.) Postgatio (in editione anni 1894) corrupta habita esse. „Tanti et per se languet, inquit Rossbergius, et cum sequenti maxima ossa intolerabilem pleonasmum efficit". Cui respondeo ἐμφάσει uti poetam, ut ingens Achillis corpus et parva manus tenerae puellae quam maxime inter se opponantur.

11. 12. et dominum lavit maerens captiva cruentum,
propositum fluviis in Simoenta vadis

Palmer Rothstein Phillimore desiderio semper et ubique Neapolitano obsequendi propositum in textu ponunt. Sed proponendi verbo hic non locus. Nam in eo versu, quem citat Palmerus: Ov. Trist. III, 9. 29:

scopulo proponit in alto,

proponere suam sibi vim habet: palam exhibere. Amplector igitur appositum [1]), quod in DV legimus.

Cum neque vocabulum vadis, neque fluvius adiectivi

[1]) cf. Housman (JPh. XXI, p. 171).

loco adhiberi possit, plerique editores Heinsii coniecturam f l a v i s pro f l u v i i s recipiunt, quam iure improbat Solbiskyus (De Codic. Prop. p. 187): „Xanthi sunt f l a v a vada, non Simoentis."

Difficultas optime removetur, si cum Ungero (Anal. Prop. Hal. 1850, p. 34) reponimus: f l u v i i s .... v a g i s, quam coniecturam recte tuetur Solbiskyus (l.l.) comparato III, 11,51, ubi cum DV v a g a legendum contra Neapolitanum, qui v a d a habet.

Praeterea cum Housmano (JPh. XXI, p. 171) i n S i m o e n t e lego, non quod i n S i m o e n t a ad exempli verbi Graeci adhibitum: *τιθέναι εἰς τόπον* improbem, sed quia a p p o s i t u m primum cum f l u v i i s v a g i s, deinde cum S i m o e n t e coniunctum displicet. Omnia perspicua fiunt, si Housmani correctione usi verba sic ordinamus: dominum vagis fluviis appositum lavit in Simoente.

15. cum tibi nec Peleus aderat nec caerula mater,
    Scyria nec viduo Deidamia viro

Hic unus ex iis locis difficillimis est, ubi pronomen secundae personae adhibetur omisso vocativo, quem exspectes.

Idem nobis occurrit in fine nostri carminis versu 52, ubi Birtius (RhMph. 38 p. 204) pro s u b i r e **superbe** restituere voluit, ne vocativus deesset.

Nec non huc pertinet III, 4, 4:

Arma deus Caesar dites meditatur ad Indos,
    et freta gemmiferi findere classe maris.
magna, viri, merces: parat ultima terra triumphos;
    Tigris et Euphrates sub tua iura fluent.

Hunc quoque locum viri docti variis modis emendare conati sunt; Broukhusius adnotans istud t u a non habet, quo referatur, coniecit s u a, quod ita explicat: „eiectis regibus erunt sui iuris et liberi". Sed non exspectamus duo illa flumina sui iuris fore, sed sub Augusti dicionem ventura, quam ob rem Lachmannus

Broukhusii coniecturam assumens s u a i u r a „debitam ditionem" intelligit: vides igitur s u a i u r a nimis ambigue dictum esse; Baehrensius n o v a i u r a scripsit, Housmanus (JPh. XXI, p. 121) ingeniose proposuit:

Thybris, et Euphrates sub tua iura fluet;

Postgatius (Class. Rev. XV, p. 43)

Tigris et Euphrates sub iuga vestra fluent.

Restat III, 13, 42:

Dique deaeque omnes, quibus est tutela per agros,
praebebant vestris verba secunda focis,

ubi viri docti, v e r s i s (Scaliger), f e s t i s (Jacobs, Cornelissen), i u s t i s (Baehrens) coniecerunt.

Quid? Omnes hi loci, qui inter se simillimi sunt, corrupti sunt? An credamus hos locos inter se defendere? Hoc mihi veri similius videtur; si quis autem omnes locos, quos citavi, coniectura emendare velit, ab eo quaerere velim, quid faciat hoc loco III, 7, 7:

nam dum te (sc. o pecunia) sequitur, primo miser excidit aevo
et nova longinquis piscibus esca natat;
et mater non iusta piae dare debita terrae
nec pote cognatos inter humare rogos,
sed t u a nunc volucres astant super ossa marinae,
nunc tibi pro tumulo Carpathium omne mare est,

ubi Propertius primum de Paeto loquitur persona tertia, deinde, quamquam modo pecuniam allocutus est, nullo novae ἀποστροφῆς indicio eum secunda alloquitur?

Ut igitur ad versum 16 nostri carminis, unde abiimus, redeamus: non opus est mutato c u m t i b i in q u a n d o i b i cum Italis aut in q u o i t u m, quod Housmanus (JPh. XVI, p. 5) excogitavit: noli tamen putare t i b i de Briseide (sic Rothsteinius) dictum: mortuum Achillem alloquitur poeta.

Correcto vocabulo viro quod Phillimorius iniuria servat, in toro,[1]) quae est Italorum lectio, omnia bene procedunt: sic enim interpretandum est: cum tibi, Achilles, neque Peleus aderat neque Thetis neque Deidamia assidebat viduo tuo toro.

17. tunc igitur viris gaudebat Graecia natis

viris NF; castis DV, quod Baehrensius recepit.

Iam Burmannus intellexit castis interpolationis indicium prae se ferre, cui plerique viri docti adstipulati sunt.

Totus versus facillime emendatur, si cum Italis legimus:

tunc igitur veris[2]) gaudebat Graecia natis,

quod Phillimorius recte vertit: „Those were days when Greece rejoiced in true-hearted daughters." Vahlenus et Postgatius pro natis Baehrensii coniecturam nuptis in textu posuerunt; quam Hartmanus iure suo propter Deidamiae mentionem improbandam esse observat. Neque ego habeo, quod natis (= filiabus) hic vitiosum ducam.

21. quin etiam multo duxistis pocula risu

duxisti O; duxistis N (i.e. tu et amator tuus)

Etsi utrumque defendi potest, exquisitior lectio vera habenda est: contra Baehrensium, qui duxisti legit, duxistis defendo.

Nunc pauca quaedam de lacunis.

Utinam viri docti, antequam Veterum carmina edere inciperent, ab hodiernis poetis discerent, quid sit elegia, quid carmen lyricum, quantopere in uno atque eodem carmine animi habitus variet. Quod si fecissent, poetas veteres non ad normam artis logicae, tamquam si iis res esset cum philosophis vel mathematicis, correxissent.

---

[1]) Vitium redit: III, 6, 30.

[2]) Germanice: ächt. Recte Solbiskyus (De Codic. Prop. p. 150) „in hoc adiectivo inquit, notio castitatis per se ipsa inest".

Nam licet Vahlenus et Rothsteinius post vs. 40 nullam lacunam statuant, Postgatius tamen 41—48 non suo loco esse contendit praeeunte Wakkero. Ad versum 41 nostrae elegiae Lachmannus haec annotat: „Haec quidem cum superioribus non sane nimis bene coëunt. Illic enim desperat amator, puellae infideli cedit, Cupidines se omnibus spiculis ita, ut prorsus pereat, configere iubet: nunc repente solum ac viduo toro victurum sese promittit. Putamus igitur et haec quoque ad aliud carmen pertinuisse". Cui sic disputanti prorsus assentitur Hertzbergius.

Sed iam Voigtius (De IV Prop. libro diss. Helsingf. 1872 p. 5 sqq.) bene explicat, quomodo versus 41—48 cum praecedentibus cohaereant: „cum ad suam calamitatem revertitur (37—40), et cedere fortunae constituit et in iustam desperationem descendit. Sed in hac desperatione tamquam sua se virtute involvit, et non sine tristi quadam voluptate in sua fide quam et servarit et sit servaturus contemplanda versatur (45—46); qua cogitatione ipse se aliquantulum consolatus ultionis acerbam voluptatem animo praecipit, cum prius tranquillior aemulo subitam mortem optat, deinde maiore odio incensus eius mortem sua se morte libenter redempturum declarat (47—52)".

Optime Birtius quoque (RhMPh 38, p. 203) huius carminis integritatem defendit, ex cuius disputatione pauca tantum modo proferam: Erstlich zwei Distichen: „nun aber, da dem so ist, will ich sterben, will ich mich verbluten an den Pfeilen des Amor". Danach setzt die zweite Strophe wunderschön ein. Schon gleichsam im Tod selbst bricht sich noch einmal das Geständniss der Liebe durch: „So wahr uns die Sterne beisammen gesehen und der Frühthau und die heimlich aufgethane Pforte: ich liebe dich noch; ich werde mit keiner sonst das Lager theilen." Des Liebesschwurs Kehrseite ist sodann aber der Hass gegen den Widersacher etc.

Praeterea utilissima est observatio Fleischmanni (Quaest. Propert. I 1895, p. 22): poetam invidiam suam et iram in aemulum per

totum carmen ab initio usque ad finem expressisse: cf:

v. 1 iste quod est, ego saepe fui

v. 23 hic etiam petitur

v. 28 hic[1]) ubi tum, pro di eqs.

Idem recte admonet Propertium, cum de sua fide loquatur plerumque de aliena perfidia disputare, cf. I, 19. 1—7; I, 12. 15—20, II, 17. 17.

Nihil igitur in toto carmine desidero, omniaque bene procedere mihi persuasum est.

ELEGIA X.

Cum mihi non in animo sit de difficillima illa quaestione, utrum liber secundus, quem nobis tradunt codices, in duas partes dividendus sit necne, hic fuse disputare, nunc id tantum profitebor me non cum Birtio eiusque asseclis stare, quamquam Rothsteinii argumenta quibus Birtium refellere conatus est probare non possum.

Felicissime totam rem tractavit vir doctus Fleischmann (Programm des kk. Staats-Ober. gymnas. in Bielitz 1895, 1896) duobus libellis, quibus titulus „Quaestiones Propertianae"; praeterea conferenda sunt ea quae scripsit vir doctus Lechner (Programm des kgl. human. Gymn. Bayreuth, 1907).

Quod ad nostram elegiam et sequentem attinet, minime mirum est hoc potissimum loco tale carmen a poeta positum esse, quod moneo propter Birtium in libro suo de re libraria (Antikes Buchwesen, p. 419) sic scribentem: „Unabweislich ist der Eindruck, dass das Gedicht .... inmitten vieler Liebeslieder durchaus planlos und verloren steht". Cui ego Itesii verbis (De Prop. eleg. inter se conexis, p. 24) respondebo: „elegiae 10 et 11 post eas quae antecedunt, quasi ultro se offerunt: amores ad tempus quidem absoluti sunt (solus ero quoniam non licet esse tuum

---

[1]) non cum Suringaro dic legendum est.

9. 46), nec amplius laudare puellam licet poetae nec querellas continuare. Ergo ne novus amor iuxta ponatur, interponitur ea digressio".

2. et campum Haemonio iam dare tempus equo;
quamquam Vahlen et Rothstein nihil mutant, tamen credere non possum Haemonio se recte habere. Merum epitheton ornans non potest esse; fortasse autem cum Heinsio Aonio legendum.

7. 8. Hoc distichon hinc alienum ducit Postgate; Birt (Das Antike Buchwesen p. 417) eos post 20 transponere vult.
Is me quidem iudice bene refutatus est ab eodem Fleischmanno (Q. P. I. p. 33), cui ego libenter adstipulor.

11. Hic versus interpungendus est:

surge, anime, ex humili iam carmine; sumite vires,
 Pierides, magni nunc erit oris opus.

Praeterea cum Heinsio anime pro anima restitui, cf. optimam Burmanni adnotationem, p. 281.

13. iam negat Euphrates equitem post terga tueri
 Parthorum et Crassos se tenuisse dolet.

Versum 13 olim sic interpretabantur viri docti: „Euphrates negat equitem Parthorum respicere ac simul sagittas in temere fugientes mittere" (Barth). Magis tamen placet Rothsteinii explicatio: „wenn (die Parther) bei ihren Einfällen in römisches Gebiet in ihrer oft beschriebenen Kampfesweise als berittene Bogenschützen sich vor dem römischen Fussvolk, das sie angegriffen hatte, flüchteten und es ihnen gelang sich über den Fluss zu retten, so hat er ihnen eine Rückendekkung geboten, indem er die Verfolgung der Römer erschwerte".
Negare cum infinitivo praesentis satis tuentur loci quales II, 22. 46:

sperant subito si qua venire negat etc.

Sed sensus, quem Rothstein iure poscit magis perspicue exprimitur, si mecum post pro adverbio habes et equitem in equitum mutas.

17. et si qua extremis tellus se subtrahit oris,
sentiat illa tuas post modo capta manus.

Licet Propertius interdum coniunctivo pro futuro utatur, hic futuro opus est, ne certa praedictio pro voto habeatur.

23. sic nos nunc, inopes laudis conscendere carmen

Recte Vahlenus (Mon. PrA. 1881, p. 346 sq.) post conscendendi verbum vocabulum montem, arcem vel simile quid desiderari contendit; quam ob rem Heinsium secutus pro carmen **culmen** reponit. Mihi magis placet pulchra Palmerii coniectura in arcem, cf. Sil. Ital. XIII, 771:

via te ad summas laudum arces perduxerit;

Tac. Dial. 10: in arcem eloquentiae ferri;
Quint. XII, 11, 28 arcem elequentiae tenere.

25. Pro nondum etiam cum Fonteinio lego nondum etenim. Nam licet etiam explicari possit, [1]) coniunctio causalis tamen aegre desideratur.

ELEGIA XI.

Hos sex versus Hartmano et Rothsteinio praeeuntibus cum nostra elegia coniungendos esse mihi persuasum habeo.

---

[1]) cf. Vahlen. Mon. PrA. 1881 p. 348: cf. I, 3, 11; I, 9, 17.

ELEGIA XII.

6. Fecit et humano corde volare deum.

Multi sunt qui hunc versum sic a Propertio scriptum esse non credant; Postgatius, in editionem anni 1894 Nodellii coniecturam recepit, quae etiam ab Housmano (JPh. XVI, p. 5) proposita est:

fecit et hau vano corde volare deum.

Sed nulla opus est coniectura, si recte locum interpretamur; prorsus enim adstipulor Rothsteinio haec adnotanti: „Der Gott hat seinen Sitz im Menschenherzen aufgeschlagen und fliegt dort umher, wie ein Vogel im Bauer", Moschus II, 16:

καὶ πτερόεις ὡς ὄρνις ἐφίπταται ἄλλον ἐπ' ἄλλῳ,
ἀνέρας ἠδὲ γυναῖκας, ἐπὶ σπλάγχνοις δὲ κάθηται

Praeterea conferendi sunt nostrae elegiae versus 15—17:

evolat heu nostro quoniam de pectore nunquam,
assiduusque meo sanguine [1]) bella gerit.
quid tibi iucundum est siccis habitare medullis?

et Ov. Am. I, 1, 26: in vacuo pectore regnat Amor.

8. nostraque non ullis permanet aura locis

Haec verba a Postgatio corrupta habentur (vid. app. cr. editionis 1894), sed fortasse aequi bonique consulenda est interpretatio, quam legimus in editione Jacobii (Anthologie aus den Elegikern der Römer, 3: Properz, p. 30): „nostraque aura: der uns günstige Fahrwind; cf. Ov. rem. am. 14: gaudeat et vento naviget ille suo". Rothsteinii interpretationem der Hauch, der wir sind probare non possum, quia imaginem hexametro expressam deserit.

12. nec quisquam ex illo vulnere sanus abit

mirum quod Baehrensius pro lectione Neapolitani abit cuius verbi

[1]) neque enim cum Rothsteinio sanguine pro dativo habeo, sed pro ablativo loci.

usus hic admodum elegans est, languidum illud erit (D'F) edidit; cf. Solbisky, De Codic. Prop. p. 158.

15. evolat é nostro quoniam de pectore nusquam.
Sic versus legitur in Neapolitano; pro é Baehrensius recte a scripsit; Muretus heu legebat; idem vitium atque: I 19,22. Pro nusquam cum viro docto Richards (CR. XIII, p. 16) repono nunquam, cf. assiduus versu sequenti.

18. Mirum est cur Phillimorius hoc loco hoc monstrum in textu posuerit:

si puer est, animo traice puella tuo!

Verum dat v (JPh. XXII, p. 111 sqq. Housm.),

si pudor est, alio traice tela, puer.

Nam Birtio (RhMPh., NF. 64 p. 409) prorsus non contigit, ut hanc versus lectionem veram esse nobis persuaderet:

si puer est, alio traice bella tua,

quod Germanice vertit: „wenn es einen jungen, noch unberührten Menschen gibt, so richte deine Kriege nach anderer Richtung als gegen mich". Primum enim nemo verba si puer est de intacto intelligere potest, deinde quis „si intactus est, in hunc bella transfer" dicere in animo habens hanc sententiam sic enuntiabit „si intactus est, alio bella transfer"?

ELEGIA XIII.

Iamdudum magnae controversiae sunt inter viros doctos, utrum carmen de quo nunc disputaturi sumus unum sit an in duas pluresve partes dividendum. Auctor huius quaestionis Broukhusius [1]) fuit qui versus 17 sequentesque „satis incommode cohaerere cum superioribus tractosque esse huc e libro tertio"

[1]) vid. eius edit. p. 147.

putavit. „Haec elegia” inquit „e duabus non unius argumenti coaluit; nihil certius”. Hemsterhusius [1]) quoque primos sedecim versus seperandos esse Broukhusio assentiens eos priori elegiae conectere voluit. Lachmannus ex nostra elegia duas fecit (vs. 1—16 et 17 usque ad finem), cui viri docti Mueller Vahlen Postgate Ites (De Prop. eleg. inter se conexis, p. 27) adstipulati sunt. Ex quibus Itesius totam quaestionem diligentissime tractavit Rothsteinii argumenta quibus is demonstrare vult unum esse carmen nostrum (Anhang: p. 343) refutare studens. Scribit autem Itesius (l.l.): „offendimus si codices sequimur, ea re quod duo argumenta tam diversa una elegia coniunguntur. Versus 1—16 enim de arte elegiaca agunt quae Cynthiae admiratione defenditur (vs. 7), reliqui mortuum ut colat illa optant. Est quidem communis sententia quae coniungit partes: utroque loco favorem puellae adipisci vult poeta, sed res plane diversae non ob eam causam confunduntur”.

Deinde refellere conatur argumenta quibus Rothsteinius demonstrare vult unam esse elegiam. Rothsteinio dicenti (p. 218 eius edit.) unum coalescere carmen ex his duobus argumentis, quod Cynthiam solam amat poeta toto ex animo itaque mortem exspectat („die Erwartung eines nahen Todes, der selbst als eine unvermeidliche Folge eben jenes Liebesverhältnisses erscheint”) respondet Itesius: sed initium el. 13 non dicere vult: „mox mortuus ero” sed: „facere non possum, quin elegias canam”. Concedo Rothsteinium carmen minus feliciter enarasse, neque tamen cum Itesio carmen dividere velim. Elegiae enim, ut iam ad elegiam X observavi, in hac parte libri secundi mihi ita inter se cohaerere videntur: postquam poeta intellexit, solum se futurum esse, quoniam Cynthia se non iam amaret (el. 9,46), sequenti carmine de puella non iam cogitare atque maius opus movere vult et carmine undecimo iratus exclamat: s c r i b a n t d e t e a l i i. Sed paulatim amor puellae redit, et

[1]) in edit. Burmanni, p. 939.

quamquam nomen Cynthiae nondum nominat, lepidissimo illo de Amore carmine iam confitetur semper amare se cogi; praeterea haec elegia et initium sequentis defendunt artem elegiacam denuo susceptam. Sed errat Itesius, si putat elegiam, de qua agimus, nihil nisi artis elegiacae defensionem praebere; blando enim carmine Cynthiam sibi conciliare conatur: „felix est" ait „si ei in gremio puellae carmina recitare licet"; quam ardenter cupiat puellam secum in gratiam redire ostendunt vs. 15. 16. Quomodo autem haec cum sequentibus cohaereant, optime docet Fleischmannus (Quaest. Prop. I, p. 24): praecedentibus enim Propertius dicit unam Cynthiam sibi pluris esse quam omnes ceteros, neque solum in vita, pergit, sed etiam post mortem, eaque de causa se contentum fore dicit, si Cynthia suas exsequias sit secutura; ei igitur de ea re praecepta mandat. Deinde apte confert Tib. carm. I. 1, 57 sqq.:

Non ego laudari curo, mea Delia: tecum
 dummodo sim, quaeso, segnis inersque vocer;
te spectem suprema mihi cum venerit hora,
 te teneam moriens deficiente manu:
flebis et arsuro positum me, Delia, lecto
 tristibus et lacrimis oscula mixta dabis.

Semper enim timet poeta, ne funus suum Cynthiae amore careat, cf. I, 19.

Praeterea versus 17. 18 quamquam igitur in initio carminis fortasse defendi potest, nequaquam apti sunt, qui novam incipiant elegiam. Post 42 Hertzbergius lacunam statuit, et apud Vahlenum novum incipit carmen, quod eodem redit. Haec sunt Hertzbergii verba: „eum quem ita contentum sua conditione modo vidimus et beatum, ut vel post cineres alia uti se velle negaret, hunc eundem continuo iubent (librarii) vitam suam exsecrari horamque ipsam qua primum lucem adspexerit detestari."

Sed si quis putat Propertium hoc carmen laeto animo scripsisse, egregie fallitur; bene enim observat Fleischmann hanc esse

totius carminis sententiam: *contentus felixque essem, si a Cynthia vere amarer*: optat igitur magis quibus carere videtur, quam iactat quae habet, cf.:

v. 13 haec ubi contigerint

v. 15 quae si forte bonas ad pacem verterit auris.

Sentit enim hoc momento fortunam amoris non certam esse neque fuisse, ut Itesii verbis utar.

Praeterea ne obliviscamur, quod Fleischmann omittit, qui animus sit poetae in hac parte libri.

Lege mihi carmen octavum vs. 11

munera quanta dedi vel qualia carmina feci!
illa tamen nunquam ferrea dixit „Amo"

et duas illas elegias quae sequuntur.

Eandem ubique tristitiem cognosces, quamquam nostro carmine iam praesentimus poetam cum puella in gratiam rediturum (cf. carmen XIV).

Has ob causas carmen unum esse neque in duas tresve partes dividendum esse mihi persuasum est.

1. Quid pro corrupta voce Etrusca legendum sit, nescio, cum nulla coniectura[1]) proposita placeat. Fortasse *Susa* verum est, sed quomodo corruptela orta sit, non intelligo.

11. Manuscripta hoc loco *me iuvet* legunt, quod Lachmannus, quem omnes editores sequuntur, hisce verbis defendere conatur: „me iuvet. Rectius, quia sequitur, haec ubi contigerint, nempe quae nondum contigerint". Sed si poeta indicativo modo dicit se nulla re magis delectari quam cum carmina legat in gremio puellae iacens sua carmina admirantis, inde non sequitur, ut voti sui iam compos sit. Coniunctivus verbi iuvandi nostro loco nihil significat, ut Hartman quoque jure suo observat. Corrigere potes: *me iuvat*, aut *mi lubet*, cf. II, 34, 59.

---

[1]) Itura: Pontanus; Atusa: Ellis; Erythra: Housman (JPh. XXI, p. 118); Kühlewein Festgr. Heerwagen p. 9): Atossa.

25. Hoc versu omnes codices legunt:

sat mea sit magna [1]), si tres sint pompa libelli;

Phillimorius corrigit:

sat mea sit magno.

Sed non dubito, quin poeta scripserit id quod Itali coniecere: sat mea sat magna est: ante sit st facile excidere poterat.

37. nec minus haec nostri notescet fama sepulcri,

quam fuerant Phthii busta cruenta viri

Pro fuerant Baehrensius clarent exspectat, alii florent, Housmanus (JPh XVI, p. 5) coniecit,

funere quam Phthii busta cruenta viri,

sed recte se habet vocabulum, quale est traditum; nam poetis illis notescet erat nota escet: nota erit, unde in pentametro ad fuerant facile suppleri poterat nota, cf. Hertzbergium ad nostrum versum.

39. 40. tu quoque si quando venies ad fata, memento,

hoc iter ad lapides cana veni memores

Non credo recte dictum hoc iter —veni, nihil enim auxilii est in exemplis a Lachmanno allatis: magnum iter ascendo, magnum iter proficisci, concessum redibit iter, iter ire, cum omnia haec verba eundi notionem habeant, quam non habet veniendi verbum; facillime [2]) tamen haec difficultas removeri potest sic interpungendo:

tu quoque si quando venies ad fata, memento

hoc iter: ad lapides cana veni memores

hoc iter: funeris mei iter.

---

[1]) Rothsteinius versum sanum ducit; loci tamen, quos citat ad a longum defendendum, et ipsi corrupti sunt, cf. quae adnotavimus ad IV, 5, 64.

[2]) Coniecturis propositis, quas Baehrensius in apparatu critico enumerat, addenda est haec Kiesslingii (Coniect. Prop., Gryphiswaldiae, 1875, p. 5):

huc iterum ad lapides cana veni memores.

45. De hoc loco Vahlenus et Rothsteinius, num recte iudicarint, vehementer dubito.

Sic legit Neapolitanus:

nam quo tam dubiae servetur spiritus horae?
    Nestoris est visus post tria saecla cinis;
quis tam longaevae minuisset fata senectae
    Gallicus Iliacis miles in aggeribus!
non ille[1]) Antilochi vidisset corpus humari,
    diceret aut „O mors, cur mihi sera venis?"

Vahlen comparat (Monatsber. d. Kon. Preuss. Akad. d. Wiss. zu Berlin 1881 p. 351.): Verg. Aen. XII, 883

O quae satis alta dehiscat
Terra mihi manisque deam demittat ad imos?

et: Attius, Philocteta, (Ribb.[2], Trag. Rom. fr. p. 209).

Heu quis salsis fluctibus mandet
Me ex sublimo vertice saxi?

Deinde sic Germanice vertit: „hätte doch ein Troischer Soldat dem Nestor das Geschik des langlebigen Alters gekürzt."

Sed haec exempla et noster locus prorsus inter se differunt. Nam tempore praesenti rogatio bene se habet; optime intelligimus recte dici: quae terra satis mihi dehiscat, i. e. dehiscat mihi terra. Sed si nostro loco quis minuisset interpretari conabimur, frustra sumus. Ipse Vahlenus linguae litterarumque Latinarum peritissimus nullum exemplum ad plusquamperfectum defendendum citare potuit, nam caute loquitur: „ist es undenkbar, dass auch von der Vergangenkeit die Frageform Quis minuisset den Sinn des Wunsches gehabt habe?"

Quid igitur? Scribamus:

cui si [tam] longaevae minuisset fata senectae
+ Gallicus Iliacis miles in aggeribus,
non ille Antilochi vidisset corpus humari.

---

[1]) „ille" omittit N, quam ob rem L. Mueller probante Housmano (JPh. XXI, . 114): non (aut) Antilochi eqs.

Cui si tam longae, quod Liveneius coniecit, ideo mihi minus placet, quod longaevae emendationem esse ex longae minus veri simile videtur.

Cui si facillime in cuis abire poterat ante l vocabuli longaevae. Deinde παραδιορθώσει interpolatum est tam. Quid pro Gallicus scribendum esset, viri docti alii [1]) aliter indagaverunt. Mihi maxime arridet Hetzelii coniectura (Beiträge zur Erklärung des Propertius, 1890, p. 19):

Graiorum Iliacus miles in aggeribus.

53. testis, qui niveum quondam percussit Adonem
venantem Idalio vertice durus aper.

Qui: sic O.

Non singulari quadam sagacitate opus est ad demonstrandum nos, si cum Rothsteinio et Phillimorio Huschkii emendationem cui spernamus, absurda Propertii dicentem facere.

Nihil enim dicit Rothsteinius, cum annotat: „der Eber wird hier schwerlich in dem Sinne als Zeuge angerufen, als habe er die Trauer der Göttin selbst mit angesehen, sondern er ist durch seine That und das, was sich daran geschlossen hat, dem Dichter ein Beweis für das, was eben behauptet worden ist". Vide autem, quam longis opus sit ambagibus, ut sensum ullum e verbis traditis excutiamus; poeta enim demonstrare vult amatorem etiam post mortem defleri solere; si ad litteram interpretamur, verba poetae sibi volunt hoc: eius rei testis erit aper, absurde, ut opinor; neque sine causa ridebis, si Paleyi iocosam annotationem leges: testis qui introduces the manifest absurdity of a boar being a witness to a moral truth. Alio igitur modo Rothsteinius locum interpretari conatur: „non aper testis erit, sed factum eius, aut, quoniam ne hoc quidem in hunc locum

---

[1]) Coniecturae enumerantur (Jahresb. Bursian 46 Bnd. 1886, p. 188). De Birtii explicatione vocis Gallicus (Rh M Ph., 51, p. 506) idem sentio atque Rothsteinius in appendice suae editionis p. 346.

quadrat, non id quod aper fecit, testis erit, sed quod ex eius facto secutum est: Veneris lacrimae Adonim suum deplorantis". Hoc aenigma a poeta legentibus propositum esse non credo. Quomodo vitium irrepserit, perspicuum fit, si cum viro docto P. Heymann (In Propert. quaest. gramm. et orthograph., p. 53) statuimus in archetypo, ex quo profecti sint libri mss. N A F D V, priscam in pronominum relativorum formis scriptis orthographiam extitisse: quoi, quoius. Ipsa enim veteris moris scriptura servata exstat: quoius: I, 20, 45 DV; cuius AFN
quoius: II, 6, 26 D; quovis V; cuius F; cuivis N
recte quoivis Baehrensius
quoi: II, 24, 3 DV; cui NF.
Erunt tamen fortasse, qui hac quoque in re ceteris praestantem Neapolitanum sequendum esse censeant; sed si examinamus locos, qualis est II, 23, 1, ubi DV legunt:

Qui fuit indocti fugienda semita vulgi,

AN: Qui fuit indocti fugienda et semita vulgi,
non audax coniectura est statuere hic olim etiam in N quoi lectum esse; sed omnibus fere locis librarius codicis N suae aetatis orthographiam restituit.
Sic nostro quoque loco in archetypo lectum esse puto quoi, quod in O in qui corruptum est.

ELEGIA XIV.

6. Pro soror haud dubie cum Heinsio sinu legendum est; soror glossema est quod sinu expulit.

7. Viri docti putant sic hoc loco esse vertendum tanta laetitia. Sed num quis Latine recte dicit non Ariadne sic Thesea incolumem videt, quantopere ego ga-

v i s u s s u m, ut Propertii verba poetico ornatu exuam? Non opinor. Scribe igitur cum Housmano:

nec sic, (cum) incolumem Minois Thesea vidit,
Daedalium lino cui duce rexit iter.

Ottonis transpositionem (Versumstell. I p. 13), qui cum Fonteinio versus 13sq. post 10 inseruit, praetereo, quia iam a Risbergio (Emendat. et explic. p. 55) refutata est. Ipsius Risbergii coniecturam ex elegia duodevicesima 1—4 post nostri carminis versum duodevicesimum ponentis non probo propterea quod versus carminis XVIII, ubi in manuscriptis tradantur, recte se habere censeo, quod infra demonstrare conabor.

27. has pono ante tuas tibi, diva, Propertius aedis
exuvias, tota nocte receptus amans.

Non d o m u m hic exspectamus, sed t e m p l u m. Baehrensius igitur a r a s pro a e d e s scripsit; ego malim Postgatium sequi, qui cum Scaligero leni correctione t u a m .... a e d e m restituit.

29. Rothsteinio non contigit, ut lectionem traditam, quae inde a renatis litteris vitiosa habita est, suspicione liberaret. Sic enim cum manuscriptis legit:

nunc ad te, mea lux, veniet mea litore navis
servata? an mediis sidat onusta vadis?

Nusquam enim apud eum quicquam lego quod a d t e explicet. Sed cur spernimus simplicissimam Heinsii emendationem, quae viris doctis Paley et Postgate quoque placuit:

nunc (in) te, mea lux, veniat mea litora navis
servata, an mediis sidat onusta vadis.

In explicando quomodo vitium ortum sit adsentior Paleyo sic scribenti: „i n t e was altered to a d t e as I conceive, in consequence of v e n i a t."

Postgatius versus 29—32 monente W. Fischero huc non pertinere putat; sed num mirum est poetam, quae Cynthiae indoles sit, scientem extremo carmine timere, ne mox excludatur, ideoque suam puellam orare, ut sibi semper fida maneat?

ELEGIA XV.

Haec quoque elegia a transpositionibus virorum doctorum non libera mansit.

I. Dousa 3.4 ante v. 11 transposuit: Fonteinius 17—22 ab hoc carmine alienos putavit; Otto (Hermes 23 p. 31) 9.10 post versum 2 transponit. Housman ita ordinat 1—8, 37—40, 9—24, 49 sq., 29sq., 27sq., 25sq., 51—54. 41—48 post 30. 18; 31—36 post 1.56. (JPh. XVI, p. 5).

Risberg (Emendationes et Explicationes p. 57.) dicit:

„vs 1—10. 25—54 aliud iustum carmen sunt; quomodo autem vv. 11—24 in pravum illum locum inciderint, explicare non queo, sed in elegiis quoque, quae proxime scriptae sunt, aliquot inveniuntur transpositiones haud ita leves".

Sed nulla harum transpositionum opus est. Dousam qui a Lachmanno refutatus est praetereo. Otto suam conjecturam ita defendit: „Der enge Zusammenhang zwischen v. 2.3 und 9.10 wird nicht blos durch die Anaphora angedeutet, sondern auch der Inhalt zeigt auf fallende Verwantschaft. Uberdies bezieht sich v. 11 non iuvat in caeco Venerem corrumpere motu allem Anschein nach auf v. 8 siccine, lente, iaces?" Priora argumenta non multum valent, nam vs. 2—10 omnes de voluptatibus amoris agunt eamque ob causam similitudo sententiae nullo modo ordinem traditum impugnat. Tertium plane falsum est: nam tribus modis Cynthia poetam incendere conatur; modo cum eo luctatur, modo moram ducit tunica se operiens, et cum poeta lassus somno requiescit, eum denuo

excitat: sicine, lente, iaces? non ideo poetae patefacit oculos, quia nudam videre vult puellam, sed quia lassus est. Textu tradito postquam voluptates illius noctis enumeravit, 9.10 optime sequntur; vs. 5—8 explicatio sunt huius versus:

quantaque sublato lumine rixa fuit.

Nunc mihi cum Risbergio res est. Is autem putat vs. 11 sqq. post v. 1—10 amoris calore ferventes spirare offensionem quandam atque etiam iram in puellam, quia vestem inter concubitum ponere non vult: „Atque ne amplius dubitemus, succurrit nobis v. 5 (nam modo nudatis mecum est luctata papillis), cui prorsus repugnat tota haec pars."

Sed, o bone, lege mihi sequentem versum:

interdum tunica duxit operta moram.

Quid igitur? Elegia Propertii non est opus eius qui historiam scribit, ut Hartman[1]) observat. Est enim carmen lyricum in quo modo nobis aliquid narrat poeta, modo mentem in aliqua re defigit, modo gaudio exsultat, interdum gemit aut lamentatur. Qui suis audacibus transpositionibus ex Propertio Tibullum facere volunt, peccant, peccant contra manes immortalis poetae: Propertium enim Propertio eripiunt. Nunc, spero, intelligimus, quomodo fiat, ut poeta, postquam suas nobis voluptates descripserit, ad versus 11sq. transire possit.

16. Videamus nunc de aliquot versibus difficilioribus,

Nudae [2]) immerito a viris doctis Palmer Baehrens Postgate corruptum habetur. „Oculi sunt in amore duces", inquit poeta. Argumento ei est quod Paris incaluit, cum nudam videret Helenam, quodque Eudymion Selenen nudus incendit. Concedo viris doctis versu 15 nudus primo loco satis esse poetae ad sententiam probandam, sed maius etiam pondus addere cupiens

---

[1]) Is de Fonteinio 17—22 delente annotat: „Ja, als zoo'n elegie van Propertius een verslag was van historische feiten".

[2]) Baehrensius: cupidae; A. Palmer: nitidae; Rossberg (Neue Jahrb. Fleckeis. 1883, p. 71): nudus.

opinioni, novum argumentum affert narrando deam quoque nudam cum amatore suo concubuisse.

25. atque utinam haerentis sic nos vincire catena
velles, ut nunquam solveret ulla dies!

Explicationi a Rothsteinio datae obstant haec: primum n o s de solo poeta hic adhiberi post versum 23:

dum nos fata sinunt

incredibile, deinde n o s h a e r e n t i s v i n c i r e melius de Propertio et Cynthia dicitur, postremo imitatio Sulpiciae (Tib. IV. 5. 15):

sed potius valida teneamur uterque catena;
nulla queat posthac nos soluisse dies.

In Baehrensii coniectura v e l l e t u t i displicet, ut Hartmanus observat, quod catena s u b i e c t u m est verbi v e l l e t.

Quid agam nescio.

35. dolores: vide quae observavi ad I. 10. 13; lego igitur c a l o r e s.

37. Cum Baehrensio lego pro t e c u m t a l i s: t a l i s i t e r u m.

44. V e r t e r e t bene defendit Lachmannus.

43. non ferrum crudele neque esset bellica navis

Baehrensius cum DV e s s e t n e q u e edidit, sed confer meam ad II, 34, 23 adnotationem et Housm. (JPh. XXI p. 187.)

45. O p p u g n a t a defendi nequit, nisi cum Rothsteinio credimus p r o p r i o s t r i u m p h o s esse victos Romae hostes.

Hoc certe nimis obscurum est, neque ab ullo lectore Romano intellectum esset. Cum Baehrensio lege e x p u g n a t a et omnia bene procedunt.

49. l u c e t defendit C. Brandt (Quaest. Prop. p. 15): „noluerunt, inquit, viri docti Sexto novam et pulchram cogitationem concedere, noluerunt eum vitam diei, mortem nocti comparare!" Sed verissime observat Housmanus (JPh. XXII, p. 93): „The metaphor of l u c e t is poetical to a modern taste but hardly possible in a Latin writer unless there has preceded something leading up to it."
Verum mihi vidisse videtur L. Muellerus:

tu modo, dum licet, o fructum ne desere vitae.

53. Scaligeri emendationem s p i r a m u s iniuria sprevit Phillimorius. Vitium redit I, 3, 7, de quo loco cf. Birtium (RhMPh. 64, p. 403).

ELEGIA XVI.

Fingit poeta nostro carmine Cynthiam a divite quodam milite glorioso muneribus pecuniaque corruptam esse, ut poetae torum relinqueret.

Praetor ab Illyricis venit modo, Cynthia, terris,
maxima praeda tibi, maxima cura mihi.
non potuit saxo vitam posuisse Cerauno?
a, Neptune, tibi qualia dona darem!
nunc sine me plena fiunt convivia mensa,
nunc sine me tota ianua nocte patet.

Praeclarum initium praestantissimi carminis! His sex versibus idem facit Propertius, quod comicus in expositione, quae dicitur: quomodo sibi res cum puella sit, perspicue exponit. Perge, quid sequitur?

Quare, si sapis, oblatas ne desere messis
et stolidum pleno vellere carpe pecus.

Quid hoc loco sibi vult coniunctio: q u a r e? Rothsteinius nobis dicet: „Die leidenschaftliche Erregung hat sich etwas beruhigt; mit q u a r e fügt sich der Dichter in das Unabänderliche, aber zugleich versucht er seiner Geliebten diejenige Auffassung des neuen Verhältnisses beizubringen, die für ihn noch verhältnismässig günstig ist".

Vides hac explicatione nihil explicari. Versus, quales sunt septimus et octavus post sextum recte se habere possunt: hoc non nego, sed posse iungi coniunctione q u a r e nunquam credam. Si praecedentibus versibus diceretur: n u n c m u n e r i b u s o r n a t a e s, n u n c c o n t e n t a e s s e p o t e s, tunc q u a r e recte se haberet. Nostro loco q u a r e ineptum sensuque cassum est.

Sed si perlegimus, novae nobis occurrunt difficultates. Unusquisque enim videt pentametrum 12 et hexametrum 17, qui in initio habent s e m p e r, iungendos esse. Emphasin enim habet illa anaphora. Ut in codicibus leguntur versus, omnia turbata sunt. Nam transferamus versus in sermonem pedestrem: „Cynthia nihil curat nisi opes et pecuniam, at tu succurre misero mihi, o Venus". Quivis videt haec non cohaerere, haec inter se opponi non posse.

Postquam poeta dicit „o Juppiter, puella mea indigne perit mercede, languidissime sequitur: n a m s e m p e r i n O c e a n u m m i t t i t m e q u a e r e r e g e m m a s.

Vides non uno tantum loco difficultates se nobis offerre, sed tribus deinceps locis. Hae graves, non tegendae difficultates facili remedio sanari possunt: transpositis versibus 11 et 12 post 6, 17 et 18 post 12. Fit igitur carminis initium hoc:

Praetor ab Illyricis venit modo, Cynthia, terris,
    maxima praeda tibi, maxima cura mihi;
non potuit saxo vitam posuisse Cerauno?
    a, Neptune, tibi qualia dona darem!
nunc sine me plena fiunt convivia mensa,

nunc sine me tota ianua nocte patet.
Cythia non sequitur fascis nec curat honores:
semper amatorum ponderat illa sinus,
semper in Oceanum mittit me quaerere gemmas
et iubet ex ipsa tollere dona Tyro:
quare, si sapis, oblatas ne desere messis
et stolidum pleno vellere carpe pecus;
deinde ubi consumpto restabit munere pauper,
dic alias iterum naviget Illyrias!
at tu nunc nostro, Venus, o succurre dolori,
rumpat ut assiduis membra libidinibus!
ergo muneribus quivis mercatur amorem?
Iuppiter, indigne merce puella perit.
atque utinam Romae nemo esset dives, et ipse
straminea posset dux habitare casa!

Housmanus versus 13. 14 post 28 transposuit, quod recepit Postgatius; sed ut ego versus ordinavi, nunc (versu 13) optime cohaeret cum praecedenti versu 10: si pauper factus est praetor iste tuus, iterum in Illyriam naviget, ut novas paret divitias, sed nunc, dum Cynthiae amore fruitur, rumpe eius membra, hoc te oro Venus.

11. Cynthia non sequitur fascis nec curat honores:
semper amatorum ponderat una sinus.

Dubitant viri docti, utrum in versu breviore cum NF una legendum sit, an illa cum DV. Neapolitani lectionem veram habet Vahlenus (Mon. PrA, 1881, p. 342), qui compluribus locis comparatis hoc observasse sibi visus est: „in Lateinischer Rede muss es genügend erschienen sein, die in unus, ipse, solus gelegene Steigerung oder Determinierung in den Satz zu stellen, auch ohne sie formell an das Wort zu binden dem sie zu dienen bestimmt war". Ad quae rectissime observat Postgatius (JPh. XXI, p. 66): „Sheer necessity alone

would justify our following the eminent Latinist on such a perilous path". Consideremus igitur singulos locos a Vahleno collectos:

Prop. II, 20, 27

cum te tam multi peterent, tu me una petisti:
possum ego naturae non meminisse tuae?

Hic pro una unum (me unum ex tam multis) exspectari putat Vahlenus; sed melius Postgatius: „to take me una for me unum is to destroy the point of the contrast, whose subject is the kindness of Cynthia, not the good fortune of Propertius."

Prop. IV, 9, 59: di tibi dent alios fontes: haec lympha puellis
avia secreti liminis una fluit

Vahlenus adnotat: „nicht diese Quelle allein, sondern diese Quelle fliesst allein für Jungfrauen"; sed prorsus non necessarium ad talem versionem confugere: haec enim versus sententia: haec potissimum lympha puellis adhibenda fluit, neque est, cur non cum Postgatio vertamus: „other springs for you, this one for maidens". Frustra autem unda coniecit Housmanus (JPh. XVI, p. 15).

Prop. III, 7. 42: Paullatim socium iacturam flevit Ulixes,
in mare cui soli non valuere doli

sed neque hic locus quicquam prodest, cum leni coniectura sententia in integrum restitui possit; aut enim pro soli **solum** scribendum est, aut, ne doli suo careat epitheto: soliti, quae palaeographice probabilior emendatio.

Ov. Met. XIII, 751 Acis erat, Fauno nymphaque Symaethide cretus,
magna quidem patrisque sui matrisque voluptas,
nostra tamen maior: nam me sibi iunxerat uni.

Sed quid obstat, quominus cum viro doctissimo Magnus locum sic interpretemur: „denn er allein hatte es verstanden meine Liebe zu gewinnen".

Hor. Ep. II. 2, 157 at si divitiae prudentem reddere possent
si cupidum timidumque minus te, nempe ruberes,
viveret in terris te si quis avarior uno

Vahlenus intelligit: si quis unus te avarior viveret; sed cum Postgatio comparandi sunt: Cat. 107. 7: quis me uno vivit felicior (than my specially favoured self), Cic. fam. 7. 16. 3: constat enim inter omnes neminem te uno Samarobrivae iuris peritiorem esse.

His locis Rothsteinius addit alium Prop. IV. 8, 48

Lanuvii ad portas, ei mihi, solus eram,

quod sic explicat: ad solas Lanuvii portas; sed postquam vidimus, quam parum praesidii in locis esset quos modo tractavimus certe non ultimae erit audaciae cum Cupero pro solus **totus** emendare.

Nostro autem loco, propter quem haec omnio disputavimus, non dubium esse quid legendum sit adiuvante Postgatio me planum fecisse credo: hoc igitur loco DV verum servasse patet.

21. numquam venales essent ad munus amicae,
atque una fieret cana puella domo.
non quia septenas noctes seiuncta cubaris,
candida tam foedo bracchia fusa viro,
non quia peccarim (testor te), sed quia vulgo
formosis levitas semper amica fuit.

Hi quoque versus, quos citavi, ut in codicibus leguntur, Propertium legentibus magnas praebent difficultates.

Beroaldus peccarim in peccaris mutavit. Hanc coniecturam si probamus, non bene intelligimus, quid testor te hoc loco sibi velit. Lipsius difficultatem sentiens detestor interpretatur, quod Latinum non esse recte observat Hertzbergius. Is sic interpretatur: „non te testem appello tui unius peccati, sed

communis formosarum mulierum levitatis, i.e. non tantum indignarer, si sola tu hoc commisisses scelus, quantum quod iam nulli puellae confidere licet." Vereor tamen ne sic testor prave explicetur neve sensus bonus evadat. Cur poeta, rogo, hic universe de corruptis feminarum moribus queritur? cum Cynthia ei res est, non cum aliis mulieribus. Equidem non dubito quin lenissima Italorum coniectura omnia plana atque perspicua fiant:

numquam septenas noctes seiuncta cubares.

Quam coniecturam si assuminus, triplex lucrum nobis est: primum enim poeta hoc loco de sola Cynthia cogitat, neque in universum loquitur; deinde non mutato opus peccarim in peccaris, quod invitis scribitur codicibus, postremo testor te bene se habet: nam testor te dicit, ut ipsam Cynthiam interroget, num quando peccarit. Accedit quod duo disticha — ut amat noster — *ἐμφάσεως ἕνεκα* idem habent initium.

27. barbarus exclusis agitat vestigia lumbis

et subito felix nunc mea regna tenet!

Non contigit Phillimorio, ut exclusis a suspicione vindicaret; comparat autem in apparatu critico locum ex Hor. Ep. 11, 22:

iussus abire domum ferebar incerto pede
ad non amicos heu mihi postis et heu
limina dura, quibus lumbos et infregi latus;

cum tamen non credam cuiquam perspicuum fore, quid vir doctus sibi velit, addo locum ex eius versione Anglica:

„The outlandish fellow bustles to and fro on the brawny legs to which her door was denied — and the next moment, here he is in luck, prossessed of my domain!"

Sed absurdum est de viro a puella non admisso dicere eius lumbos esse exclusos!

Collato Iuvenal. 9. 59:

Quantum erat exhausti lumbos donare clientis

iugeribus paucis!

propono:

barbarus exhaustis [1]) agitat vestigia lumbis,

quamquam fortasse prudentius hoc loco artem nesciendi exercere.

Videamus nunc, quomodo versus 21—32 cohaereant. Postquam poeta questus est amicas esse venales, quod omnes formosae leves sint, exclamat: „exemplo sit barbarus ille, qui nunc meum locum tenet". At dum secum reputat, quam foede puella se deceperit, quam incultus atque barbarus sit homo, qui se expulerit, vincula quibus amor eum vinxit solvere vult.

„Nullane iniuria tua efficere potest, ut tui obliviscar; semperne ego, quamvis magno dolore vexer atque carpar (= dolor hic), vitiosae tibi [2]) serviam?"; *hic dolor* enim significat: ego dolens, confer I, 18, 13:

quamvis multa tibi dolor hic meus aspera debet.

Non opus igitur Baehrensii audaciore coniectura *novis* pro *suis*, quam ipse in textu ponere non ausus est.

In enarranda hac parte elegiae de industria omisi versus 29. 30, qui contextum misere interrumpunt; cum viro docto Carutti post 46 transponendi sunt, tota enim haec ultima carminis pars demonstrare vult, quam severe puniantur avidae puellae, quae pecuniae cupiditate adductae amantes decipiant atque deserant.

35. a pudeat certe pudeat, nisi forte quod aiunt,
turpis amor surdis auribus esse velit.

Haec Propertius explicat exemplo Cynthiae aequalibusque suis notissimo:

Cerne, inquit,

Cerne ducem, modo qui fremitu complevit inani
Actia damnatis aequora militibus:

---

[1]) Postea vidi idem coniecisse Ottonem (H. 23, p. 23).

[2]) cum Italis lego *tuis* pro *suis* (v. 32).

hunc infamis amor versis dare terga carinis
iussit et extremo quaerere in orbe fugam.

Si hoc exemplum legimus, quis non miratur sequi hoc distichon:

Caesaris haec virtus et gloria Caesaris haec est:
illa, qua vicit, condidit arma manu?

Sed videamus Rothsteinium:

„Die Erwähnung der Schlacht von Actium giebt Anlasz zu einer kurzen Huldigung für den Kaiser, von dem der Dichter erst mit dem abbrechenden sed wieder zu dem eigentlichen Gegenstand der Elegie zurück kehrt".

Paulisper credere volo poetam imperatoris laudandi causa aliquid de eius rebus gestis carmini inseruisse; rogare tamen quemque legentem velim, quid exspectemus sequenti versu: eiusmodi quid nisi fallor:

„Caesaris haec gloria est qui ducem male sanum merita poena affecerit".

Versui qualis est illa qua vicit condidit arma manu locus est in carmine scripto ad maiorem laudem Caesaris; hic ferri non potest.

Quid igitur? Totum distichon, utpote aliunde illatum [1]) confidenter Fonteinium secuti deleamus. Cui mirabile dictu nemo Propertii editorum adstipulatus est.

46. Hoc versu omnes libri habent quae sequuntur:

quae tibi terra, velim, quae tibi fiat aqua

Pluralem quae cum singulari fiat esse coniunctum non improbo: conferamus enim:

apud Sallustium, Jug. 18, 11:

ea loca quae proxuma Carthagine Numidia appellatur.

Scaligeri lenis coniectura: qua tibi terra, velim, qua tibi fiat

---

[1]) Rossbergius (Fleck. Jahrb. 1883, p. 71) putat distichon, de quo agimus, postea a poeta additum esse, cum Augustum cognovisset; sed iure suo addit: „ungeschickt angebracht ist das compliment freilich auch so".

aqua, quae adverbium qua cum in vanum coniungit, mihi elegantissima, sed fortasse non necessaria videtur.

49. Versu undequinquagesimo cum Heinsio pro toto **moto** legere tam inutile videtur, quam Muelleri coniectura: numinis ira calet invenusta est.

ELEGIA XVII.

De hoc carmine et eo quod sequitur viri docti opiniones protulerunt tam diversas, ut operae pretium esse videatur statuere, quidnam ipse Propertius scripserit. Nam ut ex viris Propertianis duos nominemus, Vahlenus et Rothsteinius, uterque manuscripta anxie sequens, in carminibus definiendis immane quantum inter sese differunt. A quo versu elegia nostra incipiet? Rothsteinius versus 1—4 priori carmini addit, quod primo aspectu speciem veritatis habet; neque tamen eum sequendum esse censeo. [1]) Versus 55. 56 enim

quare ne tibi sit tanti Sidonia vestis,
ut timeas, quotiens nubilus auster erit

lepidissime claudunt totum locum de vestibus et smaragdis quae Cynthia dono accepit a divite praetore.
Si quis cum Rothsteinio primum distichon nostrae elegiae superiori addit, vis loci misere pessumdatur; quid enim?

Horum ego sum vates, quotiens desertus amaras
explevi noctes, fractus utroque toro,

non de certo casu adhiberi possunt quod Rothstein vult (vid. eius annotationem: horum geht auf den ganzen Inhalt des vohergehenden von v. 47); in universum loquitur poeta; novi carminis initio optime se habent, nam antequam suas miserias narrare incipit, duobus modis in universum loquitur de im-

[1]) cf. Ites, De Prop. eleg. inter se conexis, p. 33.

probitate puellarum, quae amantes decipiunt, et de misera sorte amantium deceptorum.

7. De Baehrensii mala coniectura a misere conferantur quae observat Otto Hermes 23. p. 33.

13—16. De versibus 13—16 iure Lachmannas dixit locum hand paullo quam interpretibus videretur difficiliorem esse, nam nunc quoque versus 15 ab aliis aliter legitur.

Lachmannus ipse versu 13 iuvat in iubet mutabat transponebatque 15. 16 post 12. „Quid hoc, inquit, quamvis iuvet se saxo deicere aut veneno perire, tamen dominam nolle mutare?" Sed bene refutatur ab Hertzbergio sic explicante: „quamvis tam miserum me reddiderit durities tua, ut mori quam hanc servitutem ferre satius videatur, tamen resistam et quid obsequium ac fides possit, iterum experiar". Carere igitur possumus eius coniectura. Restat tamen alia difficultas. Quomodo interpretanda sunt verba: nec licet in triviis etc.? Lachmannus sic explicat: „non licebat Propertio ante fores excubare, quia a praetore et custodibus, quos hic apposuerat domui, prohibebatur". Sed quomodo dici potest Propertio non licuisse in triviis requiescere, quod cuivis semper licuit et licebit? Si poetae, quod vult Lachmannus, dicere in animo fuisset disertis id verbis neque tam obscure dixisset. Hanc ob causam non intelligo, cur Vahlenus et Phillimorius in suis editionibus nec licet intactum reliquerint.

Ex coniecturis propositis Hertzbergiana [1]) simplicitate caret; Ottoniana nec licet pro nec libet mihi quidem languere videtur.

Quid igitur? Lege cum Beroaldo, quem iure sequitur Rothstein, nunc licet.

Nunc ter deinceps repetitum vere Propertianum est. Bene

---

[1]) transponit enim disticha 13, 14 et 15, 13 inter se simulque pro licet scribit iuvat.

observat Rothstein in utroque vocabulo iuvat et licet multum acerbitatis inesse. Hertzberg et Otto tamen nunc spernunt ob coniunctionem aut. Sed recte se habet aut. Aut enim in triviis cubare licet poetae nihil agenti, aut, quod summum est, per ianuam saltem verba mittere.

ELEGIA XVIII.

Postquam igitur vidimus elegiam decimam septimam versu 18 optime finiri, ad sequentem pergamus, quae plerumque lacunosa habetur.

Rossberg[1]) (Jahrb. f. Klass. Phil. 1883. p. 71.) de nostro carmine haec scribit: „kein einheitliches Gedicht. vs. 1—4 sind ein irgend woher stammender Fetzen, der Rest das Bruchstück eines andern Gedichtes." Ei adstipulatus est Postgatius.

Hartmanus tamen nullam lacunam statuens putat mente supplendum esse post versum 4: „haec omnia equidem non ignoro, sed tacere non possum". Si cui forte primo aspectu parum veri simile videtur tam multa supplenda esse, tamen si carmen, ut voce nostris temporibus usitatissima uti mihi liceat, psychologice legerit, mecum putabit virum doctissimum rem acu tetigisse. Cogitemus igitur quo animo fuerit poeta, cum hanc elegiam scriberet.

Cynthia eum non iam amat, multosque iam dies ianua ei clausa est. Iratus tristisque domi sedet. Sed ipse se erigit, non iam queri vult; nam assiduae querellae non placent puellis; „fortasse, si tacebo, miserebitur mei et frangetur. Nonne omnes semper in ore habent illud: „si quid vidisti, nega te vidisse; cela dolorem"? Sed dum sibi ea verba repetit, ira dolorque eum cepit: „cur me spernit, inquit, nondum senex sum etc." Si eo modo elegiam

---

[1]) Hetzel: zür Erklärung des Propertius, 1876 (p. 12) eos fragmentum putat, quod a suo loco aberravit.

explicamus, intelligimus quam falso editores, interdum magis diligentes in singulis verbis explicandis quam in poetae animo detegendo, duo illa disticha a sequentibus separaverint.

5. Comparato Tibulli loco (I. 10. 43: liceatque caput candescere canis) cum Heinsio legendum esse censeo:

quid mea si canis aetas candesceret annis.

Quae contra hanc lectionem affert Rossbergius (Lucubrat. Prop. p. 14) mihi non persuaserunt. Haec enim sunt eius verba: „Duplex in eo genere dicendi *τρόπος* inesset, cum aetas pro ipso homine, cani autem anni pro talibus comis accipiendi essent. Nimia profecto audacia et ne poetae quidem concessa"! Sed a e t a s m e a nihil aliud significat quam e g o; se *τρόπῳ* uti sic scribentem ne sentire quidem poetam facile intelligimus.

9. Cum Beroaldo legendum esse u l n i s non monerem, nisi Phillimorius sprevisset!

Versus 9. 10 et 11. 12 inter se transponendos esse primus vidit Hertzbergius, cui iure suo adstipulati sunt Baehrens et Otto. Hic sic scribit: „Es wäre unverzeihlich, wenn Properz Aurora noch in den Armen ihres Tithonus ruhen und erst den Tag erscheinen lassen wollte, nachdem die Göttin schon schmerzlichen Abschied genommen, um die Rosse anzuschirren" Attamen haec emendatio spernitur a Vahleno Rothsteinio Phillimorio!

10. Hoc versu recipio acutam coniecturam viri docti H. Richards (CR. 13 p. 16.) qui pro q u a m p r i u s proponit q u o m (c u m) p r i u s .... l a v i t (after first bathing). Haec coniectura commendari videtur vocabulo s e d u l a. Postgatius quoque q u a m p r i u s vitiosum ducit, sed eius coniectura n e c p r i u s, quam in textu posuit, minus verisimilis quam Richardsii inventum.

23. Post versum 23 plerique viri docti, inter quos Lachmannus Baehrens Rothstein, carmen nostrum claudendum esse putant; sed cum Hartmano et Phillimorio credo totum carmen unum esse, et cum magno detrimento dividi.

Nostrum carmen nos optime docere potest, quare Propertius tantus poeta sit. Carmina eius vivunt; ubique ira dolor gaudium tam vividis coloribus pinguntur, ut eadem, quae poeta, sentiamus. Videmus ut poeta modo iram suam compescat, modo irae non compos sit. Luctatur, sed interdum vincitur. Talis et spiritus carminis, ut iam ad vs. 1—4 explicavi.

Sed lege mecum vs. 19. 22:

at tu etiam iuvenem odisti me, perfida, cum sis
    ipsa anus haud longa curva futura die.
quin ego deminuo curam, quod saepe Cupido
    huic malus esse solet, cui bonus ante fuit.

Nonne ita est, ut ego dixi? Primum subiratus dicit Cynthiam mox anum fore, sed statim se consolatur, neque tamen diu. Nam versu 23 in capillos tinctos eius et faciem fucosam invehitur. Quis non sentit versus 23 sqq. multis verbis eadem dicere, quae versus 20 breviter attingit? Recte igitur Paley in editione sua: „in this elegy the poet grows not only impatient of Cynthia's cruelty, but so unpolite as to taunt her with becoming old and dyeing her hair".

24. ludis et externo tincta nitore caput?

Cum ludendi verbum hoc loco de lusu amatorio (cf. I 10, 9) adhibitum mihi nimis obscurum videatur, commendo Housmani coniecturam vadis (JPh. XVI, p. 6); minus bonam sententiam dat Kraffertii (Beiträge III, p. 143) coniectura laedis.

31. 32. Hoc distichon versuum ordinem male interrumpere vidit Scaliger; Baehrensius, cui Otto adstipulatus est (Versumst. I p. 13), versus 31. 32 post 28 transposuit. Risbergius (Emend. et

explic. p. 59) versus, de quo agimus, vel post 24 (cum Scaligero) vel post 26 (cum Lachmanno) inserendos putat; haec autem adnotat: „hac interrogatione (v. 31. 32) poeta luculente demonstrat illam dementiam, quam versu 23 castigat. Praeterea forma bona cum recta figura (v. 25) et caeruleo fuco cum externo nitore (v. 24) et Belgicus color (v. 26) manifesto sunt coniungenda". Sed recte scribit Otto: „v. 31. 32 (können) schwerlich in grosser Entfernung von 29. 30 gestanden haben, denn die Worte mi per te poteris formosa videri greifen zurück auf die Frage an .... caerula forma bona est?" Inter versus 29. 30 et 33. 34 vinculum perspicuum est: tu mihi formosa satis es, si saepe venis; veni igitur ad me tamquam ad fratrem aut filium (Lachmannus). Probo igitur Baehrensii transpositionem.

Coniectura autem lenissima, nam ut aliis locis, duo disticha inter se transposita sunt.

29. Verba de me, quae in codicibus leguntur, fortasse defendi possunt, si cum Barthio de me quod ad me attinet interpretamur (vid. Rothstein), sed multo melius est pro de me cum Baehrensio desine reponere.

mi certe poteris formosa videri vel post Lachmanni disputationem non mutari ab editoribus miramur; is enim haec scribit: „satis plene et otiose loquitur: de me, mi certe: alterum vero poteris formosa videri aut breviter nimis, cum deberet dicere inornatam quoque sibi Cynthiam formosam videri, aut iterum otiose, cum sequatur, mi formosa sat es".

Lego igitur per te quod primus coniecit Hoeufftius nostras.

38. Pro terram lege cum Guyeto terras. Rothstein servat terram haec scribens: „Erde und Meer kann der Dichter ebensogut zusammenstellen wie Länder und Meere", quae nihil dicunt.

ELEGIA XIX.

2. Pro colis sine dubio cum Italis coles requiritur. Praesens colis post discedis magnopere legentem offendit. Quod autem omnes meliores codices colis praebent, id nemo contra Italorum emendationem adferat: i et e litterae saepissime confunduntur.

16-20. Quid sit ponere vota (v. 18) non ita facile dictu est. Passeratius ponere dedicare interpretatus est, Marklandus ponere hic pro composito deponere adhiberi putavit. Antequam nostram sententiam proferamus, primum de sequentibus versibus videamus:

Incipiam captare feras et reddere pinu
cornua et audaces ipse monere canes.

In hoc disticho satis multa insunt, quae primo aspectu offendant. Baehrensius ad captare feras in apparatu critico suae editionis haec annotat: „captare feras neque cum sequentibus videtur convenire, neque in initio apparatus venatici locum habere". Conicit ergo: incipiamque aptare feros (equos). Cum Baehrensio stat C. Wittig, qui in suo libello cui titulus „Kritische Bemerkungen zu Properz" sagacissime proponit:

incipiam pharetras aptare et radere pingui
cornua et audaces ipse monere canes.

Risbergius contra (Emendat. et explic. p. 13—15) textum traditum defendere conatus est. Is me iudice scrupulos Baehrensii sustulit: „recte enim voce ferae significantur, inquit, non solum bestiae illae rapaces et infestae, velut leones apri, sed vel villebråd, Germanice Wildpret, ut Ov. Fa. II, 163, vel peculiariter cervi, ut Lucret. IV, 678, et fortasse Stat. Achill. I, 626 et sine ullo dubio hoc loco, ut patet e verbis sequentibus reddere pinu cornua. Antiqui enim cornua cervorum arboribus affigere solebant, cf. Metam. XII, 266:

telique habet instar, in alta
quae fuerant pinu votivi cornua cervi.

Hac Risbergii explicatione captare feras bene congruit cum versu 21. Restat, ut de verbis reddere pinu cornua quae a multis corrupta habita sunt dicam, quid sentiam.

Korschius (Nord tidskr. for fil. Ny raekke V, 257—279): nectere linum tortile coniecit: nimis audacter. Ipse olim coniciebam versum 19 sic scriptum fuisse:

incipiam captare feras et figere pinu
cornua eqs.

Nunc textum traditum integrum ducens cum Lachmanno comparo: Val. Flacc. I, 56: I, decus et pecoris Nephelaei vellera Graio redde tholo.

Ponere, quidnam significet, apparet, si conferimus locum ex Metamorphosesin supra exscriptum; inde enim sequitur, ut ponere vota significet dona Veneri promissa dedicare, i. e. cornua cervi. Quae si recte disputata sunt, reicienda videtur Housmani correctio: Veneris ponere vota iuvat (JPh. XVI, p. 6)

20. .... audaces ipse monere canes.
Iniuria Baehrensius assumpsit movere, quod in D V F legimus, cf. locos Ovidii a Rothsteinio citatos.

21. Ad hunc versum recte observat Rossbergius (Lucubr. Prop. p. 15): „Ecquis est, qui poetam dixisse putet se venationi operam daturum, non tamen eo consilio, ut ingentes leones temptare audeat? Accedit quod ausim nusquam finalem habet sensum". Lego igitur cum Rossbergio:

non tamen aut vastos ausim temptare leones
aut celer agrestis comminus ire sues.

cf. Hetzelium, Beiträge 1890, p. 22.

31. Venimus nunc ad novam difficultatem:

quin ego in assidua mutem tua nomina lingua

Verbum m u t a n d i hic ferri non posse iam Palmerius intellexit, qui m u s s e m coniecit. Hertzbergius m o t e m legit: sed nomen m o t a r e i n l i n g u a mihi parum Latine dictum videtur, neque praepositio i n exemplis a Rothsteinio allatis defenditur. Mihi maxime arridet Iacobi inventum, quod tamen nonnisi ex parte recipere velim. Is autem coniecit:

quin ego in assidua metuam tua nomina lingua,
absenti nemo ne nocuisse velit.

Ultimum versum cum Paleyo scribo:

absenti nemo mi nocuisse velit.

Melius enim carmen clauditur, si poeta non metuit, ne quid sibi noceat, sed si sperat neminem sibi nociturum.

Mi ante n excidere facile poterat, deinde ad metrum explendum n o n (sic O) additum videtur.

Totum locum ita interpretor : Propertius qui initio carminis se nunc tandem quietum fore dicit, quoniam puella rus itura sit, versibus 27. 28 anxietatem prodit — res est solliciti plena timoris amor — sic enim puellam monet:

tu quotiens aliquid conabere, vita, memento
venturum paucis me tibi Luciferis,

quod sequentibus versibus explicat: ne silvae quidem mihi curam sic adimere possunt, ut nihil metuam „pulchritudinis ac doctrinae tuae famam"[1]) quae semper in omnis populi ore est. Pluralem n o m i n a, qui sine dubio insolitus est, fortasse Iacobi coniectura et interpretatione melius intelligimus.

---

[1]) Iacobi verbis utor.

ELEGIA XX.

7. Nec tantum Niobe bis sex ad busta superbe
sollicito lacrimas defluit a Sipylo

De hoc disticho, quod ego exscripsi, ut legitur in Neapolitano, editores inter se differunt. Muellerus et Vahlenus legunt:

nec tantum Niobae bis sex ad busta superbae
sollicito lacrimae defluit a Sipylo,

quod equidem a Propertio scriptum esse non credo, primum quia lacrimae nimis remotum est a vocabulo tantum, deinde quod tantum lacrimae latine dici posse non credo (cf. Rothst. Anhang, p. 348).

Ego lectione FDV lacrimans et Beroaldi coniectura superba assumpta versum scribendum esse credo:

nec tantum Niobe bis sex ad busta superba
sollicito lacrimans defluit a Sipylo.

Quod ad sollicito attinet, bene interpretari videtur Rothsteinius: „das Niobe-bild selbst ist ein Teil des Sipylusgebirges, von dem der Schnee herabfliesst, so dass auch der Sipylus an dem Schmerz der Niobe teilnimmt".

Si quis autem exemplum ex ipsa Antiquitate desiderat, quod Rothsteinius non adfert, legat ex Anthologia Pal. XVI, 132 hoc epigramma:

Στᾶθι πέλας, δάκρυσον ἰδὼν, ξένε, μύρια πένθη
τᾶς ἀθυρογλώσσου Ταντάλίδος Νιόβας.
Ἃς ἐπὶ γᾶς ἔστρωσε δυωδεκάπαιδα λοχείαν
ἄρτι τὰ μὲν Φοίβου τόξα, τὰ δ' Ἀρτέμιδος.
Ἁ δε λίθῳ καὶ σαρκὶ μεμιγμένον εἶδος ἔχουσα
πετροῦται· στενάχει δ ὑφιπαγὴς Σίπυλος.

Ratio tamen habenda est observationis, quam facit Housmanus (JPh. XXI, p. 153): „a solid body which streams or drips with a liquid does not defluere a monte, but in monte Sen Herc. fur. 390 sq.

riget superba Tantalis luctu parens

maestusque Phrygio manat in Sipylo lapis.

Cum autem Niobe .... superbe traditum sit, totum distichon sic scribit:

nec tantum Niobae bis sex ad busta superbae
sollicito lacrimans defluit os Sipylo,

quod Postgatius quoque edidit. Haec tamen versus forma non satis elegans est; equidem scribere velim:

nec tantum Niobe bis sex ad busta superba
sollicito lacrimans defluit in Sipylo.

Praepositio de verbi defluendi movit librarium, ut in in a mutaret.

15. Pro parentis cum Hoeufftio legendum est paterna, ut Hertzbergius quoque voluit.

21—24. Versus 23 et 24 a Propertio profectos esse incredibile ducit Keilius.[1] „Neque enim, inquit, nonnunquam, sed semper, sed nunquam non receptum se esse dicere debebat, si apertius volebat, quod satis significatum erat, describere".

Baehrensius cum versibus a Keilio deletis etiam 21. 22 uncinis inclusit; et hoc certe mihi constat, si 23—24 eiciendi sint, etiam 21. 22 delendos esse.

Jacobus putat non unquam, quod est in omnibus praeter Fvo^1o^3, veram lectionem esse; Hartman quoque non unquam verum ducit eamque ob causam 21—24 a nostro loco alienos esse credit.

Otto (Versumst. I, p. 13) tamen recte observat si 23. 24 deleantur, etiam versus 21. 22 removendos esse, quia arcte haec disticha inter se cohaereant. Deinde verissime addit: „aber nicht minder fest ist die Zugehörigkeit zu V. 25. 26, und dies allein genügt, um jeden Umstellungsversuch zu vereitelen". Quod cum Ottoni

---

[1]) Observationes criticae, 1843 p. 53.

plane assentiar, videndum est, utrum non nunquam servari possit annon.

Qui non nunquam defendunt [1]), locum per *λιτότητα* explicant (Hertzbergius) et citant

II, 13, 51: tu tamen amisso non nunquam flebis amico:
fas est praeteritos semper amare viros

(Otto, Versumst. I p. 13).

Rothsteinius adnotat: „Die stolz bescheidene Unbestimmtheit des non nunquam lässt zugleich die Diskretion des bevorzugten Liebhabers erkennen".

Sed si verum est versus 21—24 non aliunde esse invectos, non nunquam hoc loco, ubi poeta verbis fortibus magnique ponderis uti debet, nimis tenue atque exile esse videtur. Quapropter versum 23 cum Weidgenio (Quaest. Prop. I, 1881)

interea nobis nunquam non ianua mollis

legendum esse censeo; in pentametro ante lecti vocabulum et addo.

35. hoc mihi perpetuo ius est, quod solus amator
nec cito desisto nec temere incipio

Pro hoc . . . ius, quae verba corrupta immerito tuentur editores omnes praeter Postgatium, optime proponit Housmanus (JPh. XVI, p. 6): haec . . . laus.

ELEGIA XXI.

12. Codices hoc loco legunt:

eiecta est tenuis namque Creusa domo,

quod Rossbergius (Lucubr. Prop. p. 33) sic interpungit:

eiecta est (tenuit namque Creusa) domo

---

[1]) De ridicula Rossbergii explicatione (Lucubr. Prop. p. 15) iam satis dictum a Solbiskyo (De Codic. Prop. p. 154).

Eum secuti sunt Rothsteinius et Phillimorius. Ego tamen cum Lachmanno Italorum coniecturam:

eiecta est, tenuit namque Creusa domum,

recipere malim, nam primum eiciendi verbum saepius absolute ponitur (cf. II, 9, 2), deinde tenuit Rossbergii coniectura recepta satis obscurum, cum obiecto domum perspicuum, postremo parenthesis minus venuste dividit sententiam.

17. Hunc versum praeeunte Phillimorio (in adnotatione critica) sic legendum censeo:

nunc quoque qui restet, iam pridem quaeritur alter

totumque locum — ex parte Hertzbergii verbis usus — sic interpretor: „etiam post damna accepta nihilo setius nimia facilitate peccant; nunc quoque, cum discere potuisses, nihil didicisti: iam enim alter quaeritur amator qui tibi perstet. Caveas autem, ne repudiata iterum repudieris; ego tamen tibi fidus sum semperque manebo".

ELEGIA XXII.

In initio huius carminis haereo post versum 10:

quae si forte aliquid vultu mihi dura negarat,
frigida de tota fronte cadebat aqua.

Pronomen relativum, quid significet non intelligo; nam non possunt significari puellae quas poeta praecedentibus versibus laudat, quia non locutus est de puellis quas Demophoonte praesente in theatro admiratus erat, sed in universum dixit se in feminis semper aliquid observare, quod se accenderet.

Hoc argumento adductus aliquid intercidisse statuo, ut cum Fonteinio Baehrensius et Hartmanus credunt.

14. quod quaeris quare non habet ullus amor;

sic cum Lachmanno interpungendum esse non observarem, nisi

Lucianus Mueller mirum in modum: quod quaeris, curae non habet ullus amor ex coniectura Huschkii in textu posuisset.

29. quid, cum e complexu Briseidos iret Achilles?
non fugere minus Thessala tela Phryges.

Pro non, quod Phillimorius servat, cum FL legendum est: num.

33. Hic versus nobis ostendere potest plurimos criticos Propertianos aperte corrupta defendere malle, quam certas virorum doctorum emendationes in textum recipere:

ille vel hic, classes poterant vel perdere muros:
hic ego Pelides, hic ferus Hector ego.

Housman (JPh. XXI p. 125) iure observat: „the verse appears to contemplate either hero performing either feat, and this is absurd". Baehrensius hoc vitium sustulit delendo hic, quod mihi e sequenti versu irrepsisse videtur, et pro ille legendo illi.

39. aut si forte irata meo sit facta ministro,
ut sciat esse aliam, quae velit esse mea!

Primum huius distichi versum difficultatem praebere legentibus iam Passeratius sensit, qui ad versum 39 annotare necessarium habuit: „si succensuerit servulo eam vocanti". Jacobus verba meo — ministro corrupta habet conicitque mero... ministro; Hertzberg tamen nihil mutat, quaerentique Iacobo, cur omnium causarum levium hanc potissimum poeta proferat, sic respondet: „credo, quia eo ipso tempore eius minister causa iurgii extiterit. Nec tamen haec quae familiaribus tantum nota esse poterant, fortasse etiam soli Cynthiae, indicare leviter in eo carmine licebat, quod non privatae tantum delectationi, sed communi usui destinatum fuisse ipsa editio testatur. Unde efficio, ut paulo ante hanc elegiam libri IV. 8 scripta fuerit, ubi

v. 79. 80 Lygdamus imprimis omnis mihi causa querelae Veneat". Hac explicatione non contentus sum; nam quartus liber Propertii, ut vulgo conceditur (cf. Rothstein: Einleitung p. XV) post secundum, de quo nunc agimus scriptus est, et praeterea quis credat Propertium tam obscure simultatem significare, quam alio carmine narraverit.

In Herma 23 p. 33 vir doctus Otto denuo textum traditum tueri conatus est contra Baehrensii coniecturam: d e o ... s i n i s t r o; comparat enim versus 49. 50:

et rursus puerum quaerendo audita fatigat
quem, quae scire timet, quaerere plura iubet,

sed nusquam in his versibus quicquam legimus, quod verba s i f o r t e i r a t a s i t f a c t a m e o m i n i s t r o explicet. Quae enim Otto addit: „Properz schickte seinen Diener, wohl den Lygdamus, zu Cynthia, allein diese wies das Verlangen des Herrn in brüsker Weise zurück und liess ihre Erregung noch überdies an dem unschuldigen Diener aus", in versibus citatis equidem invenire nullo modo possum.

Rothsteinio omnia luce clariora sunt: „M e o m i n i s t r o ist Dativ, nicht von irata abhängig, sondern von i r a t a f a c t a nicht ü b e r m e i n e n D i e n e r, sondern m e i n e m D i e n e r g e g e n ü b e r. Der Dichter denkt an den Fall, dass sein Diener, der mit einer Bestellung zu seiner Geliebten kommt, von ihr mit einer unfreundlichen Antwort zurück geschickt wird, wie es in der Elegie III. 6 geschildert wird". Neque hanc defensionem probo. Quomodo legentes intelligere possunt m e o m i n i s t r o eo modo explicandum esse, ut Rothsteinius vult? Si quis Romanus haec legebat, intellegebatne statim verba poetae, eo modo quo Rothsteinius? Non opinor.

Quae si recte disputata sunt, apparet, correctione opus esse. Maxime autem placet Baehrensii coniectura, quam Hartmanus quoque veram ducit:

aut si forte irata d e o sit facta s i n i s t r o.

Deus autem Amor est.

43—50. Hi versus, quos Itali segregabant, in manuscriptis elegiae nostrae adhaerent. Fidem manuscriptorum defendunt v. d. Hertzberg Paley Phillimore Hartman. Baehrensio et Palmero ante hos versus aliquid intercidisse videtur, sed illi quoque versus 43—50 ad nostrum carmen pertinere credunt. Ut ostendam, quibus argumentis Hertzbergius ceterique suam causam defendant, Paleyi verbis utar: „Hertzberg has remarked (Quaest. p. 113) that Propertius is peculiarly apt to apostrophise persons of whom he was before speaking in the third person. This being admitted, it is clear that the poet is pursuing the idea in v. 38. The general sense is: Refuse or assent as you please; it matters not to me, who have another in reserve! This is not said to Cynthia in particular, but to any of his acquaintances indefinitely".

De Lachmanno, qui versus 43—50 ad sequens carmen pertinere putat, tacere possum, quoniam nemo recentiorum editorum ei adstipulatus est. Vahlen et Rothstein versus 43—50 pro fragmento habent. En diversae opiniones!

Perlegamus autem, ut de quaestione melius iudicare possimus etiam versus praecedentes:

sic etiam nobis una puella parum est,
altera me cupidis teneat foveatque lacertis,
altera si quando non sinit esse locum;
aut si forte irata deo sit facta sinistro,
ut sciat esse aliam, quae velit esse mea!
nam melius duo defendunt retinacula navim,
tutius et geminos anxia mater alit.

Ex his versibus non sequitur, ut poeta nunc duas puellas simul devinctas habeat: optat modo, ut a duabus puellis ametur. Igitur quod Paleyus scribit: „aut nega aut veni; repulsam tuam nil moror; nam praeter te altera mihi fida est" ex nihilo fictum est,

Secundum argumentum, quod contra Hertzbergium ceterosque pugnat, cohaeret cum alia quaestione.

Primum enim nobis investigandum est, quomodo versus 44 legendus et explicandus sit. Lachmannus cum Italis scripsit:

quid iuvat in nullo ponere verba loco?

et explicavit: „cur nihili facis verba i. e. promissa tua"? Jacobus, cui Hertzberg assentitur annotat: verba in nullo loco ponere plerumque est: „nullam verbis auctoritatem tribuere"; hic debet esse: „nullius auctoritatis vel ponderis verba proloqui". Confer enim locum, quem Lachmann citat Cic. de Fin. II. 28 90: „idque Socratem, qui voluptatem nullo loco numerat, audio dicentem cibi condimentum esse famem".

Recte igitur Risberg (Emendat. et explic. Prop. p. 16) concludit Lachmanni sectatorumque eius explicationem nimis duram esse; ipse igitur novi aliquid excogitavit: versum 44 ita interpungit:

Quid? iuvat et nullo ponere verba loco

totumque loci nexum sic exponit: „Malo duas puellas habere quam unam, nam tum semper alteram licet adire et repulsam minus timeo" (35—42). [Tum verba ipsa ad puellam facta referens pergit:] „Quare nega te venturam vel veni, aequum est, quoniam alteram habebo;[1]) quin etiam iucundum est, utrocunque modo responderit, id leviter ferre posse (44). Id vero valde acerbum est, si puella, posteaquam promisit se esse venturam, sero demum, cum altera non poterit adesse iuberi, renuntiat (45—46)".

Sed in hac quoque explicatione quamvis ingeniosa vox verba sic nude posita Latine non dici posse videtur pro promissa puellarum.

Birtius (RhMPh. 64, p. 408 sq.) nostrum versum vertit: „was hast du für Nützen davon in keinem dieser beiden Fälle (hoc tamen nullo loco significare non potest) mir eine Mitteilung

---

[1]) id vero nusquam dicit poeta.

zukommen zu lassen?" verba ponere „scribere" interpretatus. Sed verba ponere „scribere" significare confidenter nego; conferamus autem exempla a Birtio allata:
Cicero: ponam in extremo quid sentiam.
Plin. N. Hist. 13, 85: Heminae verba ponam.
Ciceronis locus nihil prodest ad verba ponere eo modo quo vult Birtuis defendenda; alter locus, si totus exscribitur, ipse statim docebit se huc non pertinere: quapropter in re tanta ipsius Heminae verba ponam.
Nam ponere „scripto mandare" significare posse cuique notum est; verba ponere hoc loco defendendum erat.
Redeo igitur praeeunte Hartmano ad Beroaldi coniecturam: quid iuvat heu (sic Rothstein) nullo pondere verba loqui.
Postquam pondere casu quodam in ponere corruptum est loqui παραδιορθώσει in loco mutaverunt librarii.
Quae si feliciter disputata sunt, intelliges me hos octo versus non cum superiore elegia coniungere velle; nam si versus 43 ita explicari debet, ut Barth Paley Risberg volunt, exclamatio „quid iuvat heu nullo ponere verba loqui" a contextu alienum est. Mea igitur sententia versus 43—50 fragmentum sunt.

48. Versus 48 quin a Lachmanno recte scribatur: cum recipi, quem non noverit illa, putat, non dubito. (vid. eius annotationem in edit. 1816, p. 179).

50. Ultimum versum cum eodem Lachmanno lego:
quem, quae scire timet, quaerere plura iubet, atque explico: Puerum, qui se causam, cur puella non veniat, scire negavit, plura quae ipse timet scire, quaerere iubet. (Lachmann) Quaerere recte habet, nam servus, qui nuntium rettulit, non puellae, sed amatoris est, ut III. 6.

ELEGIAE XXIII et XXIV.

In hac elegia et sequenti explicandis multum sudaverunt viri docti; sed nunc quoque operae pretium esse videtur denuo rem tractare, praesertim cum Rothsteinii explicatione magnae difficultates, quas et alii et Plessis (Études critiques sur Properce) in carmine XXIV reppererunt, minime refutentur. Sed primum videamus de elegia XXIII.

1. Primus versus ab Hertzbergio Muellero Vahleno Rothsteinio ex coniectura Italorum sic legitur:
Cui fuit indocti fugienda haec semita vulgi.
In manuscriptis F N pro haec legitur et, D V et omittunt. Demonstrativum haec hoc loco explicari nequit, ut luce clarius ex Rothsteinii annotatione apparet: „Der Weg, den die Ungebildeten gehen, ist der zunächstliegende, allen offen stehende, haec semita".
Hertzbergii explicatio, quamquam melior est quam Rothsteiniana (haec semita quae nunc ante pedes lucet) difficultatem non tollit. Palmer et defendit: et verum est: etiam semitam, qua utebatur vulgus, Propertius dicit sibi fugiendam fuisse. Quod fateor me non intelligere. Housman (JPh. XXI, p. 172) verum invenisse videtur:

Cui fugienda fuit indocti semita vulgi.

Ad fuĭt defendendum recte confert: IV. 1. 17

nulli cura fuit externos quaerere divos.

Hic igitur unus ex iis locis est, quibus codices D V ad veram lectionem inveniendam melius quam N viam monstrant.

4. Quid promissa verba sint, non ita facile dictu est. Mihi cum Broukhusio epistulae mutuae, quas alter alteri promiserat, significari videntur. Neque tamen spernendum, quod legitur in Aldina: commissa .... verba pugillares servi fidei creditos (vide

Burmanni ad nostrum versum annotationem). Si vera est lectio Aldinae, conferendus est IV. 1, 4, ubi

Euandri profugae concubuere boves

in procubuere mutandum esse videtur.

6. Quo campo ne suspectum videatur cito Cat. 55, 3: te campo quaesivimus minore; Festus p. 131: campus Martialis.

10. Pro captus quod ab Hartmano corruptum habetur coniciam cautus.[1]) Commendat coniecturam, ni fallor, adverbium saepe. Iterum iterumque enim metuit amator, ne deprendatur, et auxius in casam quandam se abdit.

11. Quam care semel in toto nox vertitur anno!
Non loquar de omnibus modis quibus viri docti vertitur explicaverunt, neque de omnibus correctionibus propositis. Moneo tamen verbum vertendi hic prorsus non, ut vult Rothsteinius, verbo vendendi aut mutandi esse interpretandum. Nam primum nihil auxilii est in Horatii versu Ars Poet. 226: „vertere seria ludo", deinde vendendi verbum non quadrat in nostrum locum, neque enim de meretricibus sermo est. Alioquin venditur, quae coniectura est Hemsterhusii contra usum linguae Latinae peccans[2]) facile corrigi posset in hunc modum: „quam care semel heu toto nox venit in anno"! quod mihi aliquando placebat. Vertitur autem optime explicatur Paleyi verbis: „at how high a price a single night in the whole year comes round to your turn". Exquisite dictum esse concedo, non tamen vitiose.

22. et quas Euphrates et quas mihi misit Orontes,

me iuverint eqs.

---

[1]) Germanice: aus Vorsicht.

[2]) miror eam Baehrensio dignam visam esse, quae in textu poneretur.

iuverint N; capiant DV. Lectionem DV iniuria praefert Baehrensius. Cum iuverint vitiosum esse metrum doceret, iuerint autem rarior forma esset, quam ut a librariis reponeretur, coniecere: capiant.

22. Furta pudica tori. Locum ita explico, ut Rothsteinius in commentario.

Ultimum carminis distichon spurium habeo, praeeunte Fischero [1]) (De locis quibusd. Prop. 1863 p. 31), qui pentametrum tantum delere volebat. Versus primum admodum ieiuni sunt, neque correctiones quicquam auxilii afferunt.

Baehrensii coniectura:

stultus liberam erit si quis amare volet

contra artem logicam pugnat;

Birt proponit:

viles liber erit si quis amare volet

Otto (H. 23 p. 35).

multas liber erit si quis amare volet.

Sed neutra emendatio mihi placet, propterea quod primus distichi versus iam impedit, quominus quisquam amans liber sit. Nam quid nos cogitare cogit amanti de eo qui in una tantum puella deperit adhibitum esse? Nihil, opinor. Sentimus igitur iam pentametrum sine dubio suspectum esse, sed si id quoque nobiscum reputamus nostrum carmen in codicibus a sequenti male seiunctum legi, statim intelligimus, quid factum sit. Postquam casu quodam (in hac re codices Propertiani nihil auctoritatis habere iterum iterumque monemus) duo carmina, quae dividi nequeunt, separata sunt, finem prioris deesse putabant. En deprendimus interpolatorem in novis versibus pangendis non ita versatum sensuque poetico plane carentem. Quieto igitur animo totum distichon e textu Propertiano eiciamus. Transeo nunc ad elegiam

[1]) eum sequuntur L. Mueller et Fr. Plessis (Études crit. p. 135).

XXIV, quae me iudice male ab ea, quam modo tractavimus, separatur. Sunt versus difficilimi, de quibus alius editor aliter iudicat. Plessis libro, cui titulus est Études sur Properce et ses élégies Heimreichium secutus versus 1—8 spurios habet eque textu removet. Iuvat totum locum exscribere, quod dignus est qui perpendatur, praesertim, cum elegia a recentissimo editore Rothstein ex parte eodem modo explicetur. Postquam monuit Plessisius Lachmannum iam in editione anni 1816 versum 4 ut subditivum eiecisse, sic pergit: Mais le vers 8 n'est guère plus acceptable que le vers 4. Que veut dire le poète? „Si Cynthie m'était favorable, du moins je cacherais le nom.” Quel nom? celui de Cynthia? mais c'est déjà un pseudonyme. Le sien? Dans quel but et comment? Celui des courtisanes vulgaires dont il vient de parler élégie 23? Mais est il vraisemblable que Properce ait tenu un aussi étrange raisonnement: „Je prefère les filles vulgaires à Cynthie; si Cynthie se montrait pour moi aussi facile, je continuerais à les fréquenter, mais je cacherais leurs noms.”

De plus, ce que personne n'a remarqué, c'est la contradiction flagrante entre le vers 7:

nec sic per totam infamis traducerer Urbem

et le vers 10 de la même pièce:

Quare ne tibi sit mirum me quaerere viles:
parcius infamant: num tibi causa levis?

Le poète vient de nous dire, dans l'élégie 23 et dans celle-ci, qu'il fréquente ces courtisanes parce que Cynthie est d'un abord trop difficile; que si Cynthie était plus facile, il ne serait pas livré ainsi à la honte par toute la ville (vs. 7). A quelle honte? Bien évidemment à la honte de fréquenter ces filles du dernier rang. Mais voici qu'il nous apprend (v. 10) que leur commerce est moins déshonorant que celui de Cynthie! ou si l'on traduit parcius „à meilleur marché” que l'un et l'autre se valent en déshonneur, et que c'est une simple question d'argent.

Hactenus Plessisii argumentatio. Putat igitur Plessisius versus 5—8 de amore vilium loqui; Rothsteinium quoque iudicare Propertium infamem traduci propter libertinarum amorem docet nos commentarius, in quo haec legimus: „Er (sc. Propertius) muss zugeben dass seine angeblichen Grundsätze in Wirklichkeit nur ein Vorwand sind, dass es nur sein Misserfolg bei Cynthia ist, der ihn in diese Lebensweise hineingetrieben hat, die er eben mit schönen Worten zu verteidigen versucht hat".

Sed hac Rothsteinii explicatione verba Plessisii non refutantur. Rothsteinius enim poetam sic disputantum fingit: „Si Cynthia mihi facilis esset, scorta non quaererem ideoque non infamis vocarer. Non dico Cynthiae amorem me non infamem reddere, sed eorum amor minore pecunio constat". P a r c i u s enim m i t g e r i n g e r e n K o s t e n [1]) vertit Rothstein. Licet cum illo credamus poetam argumenta imaginaria afferre, tam aperte eum nihil dicere non facile quisquam mihi persuadebit.

Accedit quod ad hanc explicationem sustinendam Rothstein versum 8 mirum in modum explicare cogitur: „Properz leugnet nicht, dass auch unter günstigeren Verhältnissen sein Herz leicht entzündbar sein würde, wie er es in der Elegie II. 22 geschildert hat; aber er würde doch wenigstens soviel Halt haben, um den äusseren Schein wahren zu können". Sed ipse Rothstein contendit revera poetam Cynthiam ardenter amare, omnia, quae loquitur, eum veri animi habitus celandi causa dicere; ergo si Cynthiam amat, meretrices vulgares despicit.

Praeterea n o m e n hic f a m a m valere non ita perspicuum est. Postremo aliae sunt causae quare p a r c i u s non verti possit à m e i l l e u r m a r c h é (Plessis), m i t g e r i n g e r e n K o s t e n (Rothstein), quas Bellingii verbis afferam (WklPh, 1895 p. 1174): „Hiergegen spricht erstens die Erwägung, dass in dem Pentameter des mit q u a r e eingeleiteten Distichons,

---

[1]) P a r c i u s tamen semper i n g e r i n g e r e m M a s s e significare ipse concedit Rothstein.

noch dazu ohne jede Partikel, ein ganz neuer Gedanken auftreten würde; zweitens die Beobachtung, dass das Adverbium parce nur dan gebraucht wird, wenn von dem Subjekt des verbums ein parcere ausgesagt werden kann, während hier Propertius parcus wäre".

Bellingius autem versum 10 interpolatum putat. Vides nondum solutam esse hanc quaestionem. Equidem, postquam iterum iterumque locum legi singula vocabula accurate examinans atque perpendens, neque Plessisium neque Rothsteinium neque Bellingium verum vidisse credo, sed alia opus esse interpretatione. Tota autem de nostro loco disputatio huc redit: Quam ob rem poeta infamis traducitur?

Quid respondendum sit, tum demum intellegemus, cum utrumque carmen enucleaverimus. Postquam poeta in priore elegiae parte se viles quaesiturum esse confessus est, amicum inducit se sic interpellantem: „Quid dicis? te viles quaerere? Quasi ignoremus, Cynthia quo modo tecum sit. Omnes tuum librum legimus." Ad haec verba subirascitur Propertius: „quis non erubescat, inquit, talia audiens? Profecto hoc vere dicunt: aut de pudore tacendum est ingenuo [1], i.e. aut pudor abiciendus, aut amor tuus ne divulgetur caveas! Sed haec non mea culpa est: Si Cynthia mihi tam facilis esset quam viles meretrices esse solent, non in malam famam venissem". Nam hanc ipsam ob causam omnes in se oculos defixos habere putat, quod Cynthia sibi non morem gesserit. Viles puellae enim amantem sine mora recipiunt (XXIII, 17), itaque minus eius famae nocent: nesciunt homines quid agat; tota eius vita domi, non foris agitur; quo autem factum sit, ut Cynthia poetae famam laederet, vividis coloribus pingit elegia I 16; idem significant versus illi notissimi III, 25, 1:

---

[1]) cum Paleyo lego: aut pudor ingenuis, aut reticendus amor. Ceterae coniecturae: haut pudor ingenuis, haut reticendus amor (Hauptius), aut pudor ingenuis, aut retinendus amor (Baehrensius), aut { quaere ingenuas / fruere ingenuis }, aut reticendus amor (Risbergius p. 22) locum pessumdant.

risus eram positis inter convivia mensis,
et de me poterat quilibet esse loquax.

Risbergius (Emend. et explic. Prop. p. 22) hanc carminis partem minus feliciter enarravit:

„at si Cynthia tam facilis esset quam scorta illa, non dicerer esse extremi in amore furoris (libidinis) nec, ut nunc fit, tota urbe infamarer Cynthia amoris delicta divulgante"; confert autem hos locos:

I. 5, 25: quod si parva tuae dederis vestigia culpae,
quam cito de tanto nomine rumor eris!

I. 4, 21: et te circum omnes alias irata puellas
differet

II. 23, 17: differet haec numquam (hic locus huc prorsus non quadrat, cum praecedat nec sinit esse moram).

Optime intelligere possum Bellingium (l.l. p. 1173) hanc interpretationem valde improbare; postquam enim recte monuit locos a Risbergio allatos non de loquacitate agere, nec de Propertio loqui, sic pergit: „und als ob ihm vor dem Worte delicta selbst bange würde, sagt er (Risb.) in der Anmerkung: praeterea est omnino cogitandum de amoris eius vicibus et iurgiis inter homines divulgatis. Dazu braucht Cynthia den Mund nicht aufgethan zu haben; diese vices und iurgia sind in dem von Properz herausgegebenen Buche Cynthia schriftlich verzeichnet. Es wäre doch absonderlich dass der Römer Properz das römische Publikum so slecht kannte, um nicht vorauszusehen, dass der Erfolg solcher Veröffentlichung die infamia sein würde."

Qui me disputantem secutus erit, mihi concedet incommoda atque difficultates quas Bellingius in Risbergii interpretatione loci invenerit mea loci expositione tolli; quodsi Bellingius me roget, quare poeta ediderit librum quo edito sciebat se infamem futurum esse, respondeam, etiamsi librum non edidisset, neminem ignoraturum fuisse, ut se, quasi servus esset, gessisset (cf. XXIII, 7), quam multa fecisset ingenuo indigna; Cynthia enim poetam

saepius fallente, saepius excludente tota poetae vita foris ante hominum oculos agebatur. Sed pergo carmen enarrare: „at si Cynthia mihi faveret, inquit poeta, vita mea libidinosa in obscuro lateret; nam quamvis illa me ureret amore, nomine ficto Cynthiae omnes deciperem; aut enim quandam vagam puellam a me amari suspicarentur homines, aut totam historiam amoris mei in oblectationem legentium fictam esse putarent. Intelligisne nunc, amice, quare aliam viam ingressus vilium amore contentus sim: minus infamant."

De versu 8 observo me codicum lectionem n o m i n e v e r b a d a r e m tueri non dubitare; nam versum, ut a me explicatus est, bonam praebet sententiam. Palmeri coniecturam n o n m i h i pro n o m i n e recte spernit vir doctus Plessis (Études sur Prop. p. 138), qui Palmeri coniectura recepta locum sic vertit: „Si Cynthie se montrait aussi facile pour moi que les courtisanes vulgaires, je serais sans doute brûlé d'amour, mais du moins je ne me tromperais pas moi-même, je ne m'en imposerais pas à moi-même"; deinde verissime haec addit: „mais on ne voit pas, comment Properce, dans le cas présent, s'en impose à lui-même, se trompe et se fait illusion".

Versus 11—16 recte a ceteris segregasse Scaligerum mihi cum Hartmano constat. Primum enim praesens c u p i t, ut recte observat Bellingius (l.l.), non congruit cum iis quae poeta modo narravit, deinde coniunctio e t [1]) laxo admodum vinculo novam causam priori adnectit, postremo fragmentum esse versus 11—16 demonstrat m o d o, cui alterum m o d o aut similis vox non respondeat.

Versu 15 Phillimorius mirum in modum sprevit certam Italorum coniecturam s e d m e pro secundo s i m e.

---

[1]) De meretricibus sermonem esse non recte putat Otto (H. 23, p. 35) qui v. 11 cum Lachmanno h a e c pro e t legens idem restituere vult v. 13; cf. enim versus 15. 16, qui de Cynthia poetam cogitare ostendunt.

ELEGIA XXIV[B].

Absurde Phillimore carmen XXIV[B], quod Vulpio excepto omnes editores Scaligero praeeunte segregant, cum elegia quam modo tractavimus coniunctam edidit. Etenim quis dominam, quam modo fallacem nominavit, a qua ludibrio habere eum pudet (XXIV. 16) tam blando carmine alloquetur?

23. Ante hunc versum aliquid intercidisse Muellero et Hartmano assentior. Conferri posset I. 8. 37, sed hoc loco transpositione opus esse infra ostendere conatus sum.

31. qui nunc se in tumidum iactando venit honorem.
T u m i d u s h o n o r inusitate dictum quidem, neque tamen Propertio abiudicare auderem, nisi accederet quod pronomen s e quod falso delet Hertzberg male vocabulis i n t u m i d u m a verbo iactandi separatur. Praeterea codex F praebet t u m i d e; his rebus perpensis fortasse cum Paleyo et Baehrensio scribendum esse censeo:

qui nunc se [in] tumide iactando (in)venit honorem.

35—38. Hos versus suo loco manere debere, neque cum Rosbergio (Lucubrat. Prop. p. 16) esse transponendos Otto bene demonstravit (Versumstellungen I p. 13).

35. Pro t u cum Baehrensio et Hartmano lego t u m; pronomen t u quod hic *ἐμφάσει* dictum esset, in hunc locum non quadrat.

45. iam tibi Iasonia nota est Medea carina
et modo servato sola relicta viro.

Lachmannus putabat nullum in hoc poeta versum ineptiorem legi, sed eius coniectura nulli editori persuasit. Scribebat autem

iam tibi Iasonia votum est, Medea, carina

et modo servato sola relicta viro,

quod sic explicat: est tibi votum, habes quod optas in navi Iasonis; sed tibi votum est non facile intelligitur, pentameter praeterea aeque obscurus manet.

Aliam viam ingressus est Otto (Hermes 23, p. 35) qui locum sic vertit: „Und ferner ist dir durch den (von Varro besungenen) Zug des Iason die Medea bekannt, die ebenfalls kurze Zeit, nachdem sie den Helden gerettet hatte, von ihm treulos verlassen wurde".

Assentior Ottoni verba Iasonia .... carina sic verti posse; restat tamen difficultas, nam coniunctio et pentametrum ridicule cum hexametro coniungit; neque enim contigit Rothsteinio, ut locum probabiliter explicaret; is enim verba sic ordinando: „tibi nota est Medea Iasonia carina et sola relicta", nihil aliud effecit nisi ut etiam melius sentiremus vitium latere. Equidem cum Hetzelio (Beiträge 1890, p. 28) legere velim:

non tibi Iasonia nota est Medea carina,
heu! modo servato sola relicta viro?

Recte autem observat Hetzelius: „Anstössig ist nur in beiden Versen der Anfang; iam (nicht temporal) und et scheinen ungeschickt an die Stelle des unleserlich gewordenen Worte gesetzt zu sein".

Housmanus, qui non recte ab infido lectionem DV Neapolitani lectioni servato praetulit (JPh. XXI, p. 173), refutatus est a Postgatio (On certain Manuscripts of Prop. p. 71, sq.), cui adstipulor; cf. Solbisk., de Cod. Prop. p. 168.

47. 48. Non transponendos esse credo; totum locum eodem modo atque Rothsteinius in sua editone explico.

ELEGIA XXV.

17. at nullo dominae teritur sublimine amor, qui
restat etc.

Versum 17 corruptum esse fere omnes editores concedunt. Davisius in notis ad Cic. de nat. D. II C. 2 dominae molimine excogitavit, hoc sensu „licet omni conatu Cynthia adnitatur amorem meum amovere, nil agit tamen". Ei adstipulati sunt Marklandus Hemsterhusius Lachmannus, et nostra aetate Lucianus Mueller.

Vahlen vocabulis sub limine crucem apponit veritatem reperiri posse desperans.

Rothsteinius annotat: „dominae sub limine gehört in den Relativsatz zu restat, und limen ist hier die obere Thürschwelle". Ipse tamen sensit hanc explicationem satis contortam esse, coniecitque (Anhang p. 349): at nullo teritur, dominae sub limine amor qui.

Quid autem legendum sit, dicere poterimus, simulac statuerimus utrum amor qui retinendum sit necne. Muellerus enim adnotat (Praefat. edit. p. XXX): „illud qui sine dubio a correctoribus venit explendo versu, cum a Propertii arte metri sit alienum"; assumit igitur Heinsii coniecturam: amator. Sed subiectum verbi teritur abstractum sit necesse esse equidem Rothsteinio assentior, quam ob rem olim cogitabam teritur e versu 15 irrepsisse, quod Muellero quoque in mentem venit; totumque versum sic restituere volebam:

at nullus dominae (removetur) limine amator,

partim Sandstroemii invento usus:

at nulla dominae (removetur) limine amans vi.

Nunc tamen hanc correctionem ut nimis audacem reicio: Amor teritur pulcherrime dictum esse et post versus 15. 16 nihil aliud exspectari posse cuique, qui singula nostri loci verba secum perpendit, concedendum est. Sequitur igitur, ut Heinsii

coniectura amator reiecta amor qui aequi bonique consulendum sit. Amorem autem restare et minas sustinere aure immerita ne quis improbet, comparo versus, quales sunt I, 13, 23. 24.

Neque tamen locus vitio caret; recte enim scribit Phillimorius[1]) (CR. XXV, p. 12): „Parallelism suggests that the hexameter prepared for immerita sustinet aure minas some phrase for scolding".

Versum igitur ex Langermanni coniectura restituo:

at nullo dominae teritur sub crimine amor qui
restat.

25. 26. Rothsteinii annotatio et versus ex Copa 5sq.:

quid iuvat aestivo defessum pulvere abisse:
quam potius vivo decubuisse toro!

ubi potius quam exspectamus, me retinet, quominus ante versu 26 (Baehrensius cum Italis arte; Burmannus axe) mutem.

31. 32. Namque in amore suo semper sua maxima cuique
nescio quo pacto verba nocere solent.

Versu 31 Baehrensius pro suo **novo** legere mavult; sed maxima verba non solum in novo amore nocent, sed et ceteris in rebus[2]) damno sunt et in amore; cur in novo amore magis noceant, nusquam legimus. Suo hoc loco idem valet atque secundo (cf. vs. 27).[3])

38. quamvis te persaepe vocet, semel ire memento.

Verba semel ire memento viris doctis mirum in modum magnas difficultates praebuerunt. Lachmannus sic scribit: „ineptum hoc est, immo putidum, quod, quamvis saepe a puella

---

[1]) Ipsius Phillimorii coniectura: „at nulla dominae teritur sub lite memor qui" et obscura est et longius abest a ductibus litterarum.

[2]) Soph. Ant. 127:

Ζεὺς γὰρ μεγάλης γλώσσης κόμπους ὑπερεχθαίρει.

[3]) sic Housman quoque (JPh. XVI p. 33).

vocetur, semel tantum neque amplius ire iubetur"; his Lachmanni verbis, qui ipse semel ire timeto legit, moti Baehrensius semel ire negato, Vahlenus (Beiträge, Berlin. Sitz. ber. 1881 p. 354) sepelire memento, Hetzel (Beiträge zur Erklärung d. Prop. p. 29) semel ira redibit proposuerunt. De omnibus his coniecturis bene observat Risberg (Emend. et Explic. p. 25): „Pulchre profecto monitum! Praeclare scilicet ille amore puella fruatur, si nunquam ad eam veniat."

Kuinoel [1]) mihi, ut Paleyo, versum recte interpretatus esse videtur: ne abutaris benignitate dominae, sed parce utere ea, ut decet circumspectum. Hanc interpretandi rationem improbat Risberg, quod putat invidiam quod habet verti non posse si quid invidiae fuerit, sed significare: quod invidiae iam est. Risbergio si credimus, poeta amatorem a superbia revocans monet: 1. ne ardori puellae confidens de fortuna sua coram aliis glorietur, 2. ne assiduitatem puellae fastidiens roganti lentus atque difficilis sit; deinde vir doctus confert v. 21 fastus adsumis (contra Propertius ipse: ultro contemptus rogat 19) coniungitque semel cum memento, in perpetuum (germ: eins für allemal) vertens.

Haec explicatio, quin falsa sit, prorsus non dubito, primum enim quaero, cur Propertius aemulo suo suadeat, ut quamvis saepe vocatus semper eat. Potestne tam facile ferre, aemulum amore Cynthiae cottidie frui, estne hoc amatoris ardentissimi? Non opinor, immo vero callide poeta aemulo suadet, ut semel tantum modo puellam visat sperans ita puellam iratam fore frigido amatori; aut sibi ipsi ianuam denuo apertum iri; aut amatorem raro saltem voti compotem futurum esse. Sed praeterea prorsus me praeterit, cur Kuinoelii interpretatio damnanda sit, cur non salva lingua ita verti possit: invidiam quod habet i. e., quod

[1]) Hertzbergii interpretatio, quam Otto quoque veram ducit (Berlin Phil. Wochenschr. 1884, No. 13): semel ire memento, ne puella propter copiam satietate capiatur cum Risbergio reicio, propterea quod voci invidia non recte vis taedii tribuitur.

invidia laborat, cito interit i. e. si quis totiens pulcherrima puella fruitur, invidiae est, et mox ianua ei clausa erit. Raro [1]) igitur te ad puellam confer, ne tibi homines invideant, et mox de tua fortuna actum sit. *Qui pleno fastus assumis amore* optime vertitur: „qui nunc, cum puella tibi facilis sit, superbe tua fortuna gloriaris".

35. at si saecla forent antiquis + grata puellis,
essem ego quod nunc tu.

Sic edunt Lucianus Mueller et Vahlenus; neque iniuria, nam nemo ex his vocabulis ullum sensum excutere potest. Paley dubitanter vertit: „but if the times **now were, which the girls of the olden time so much liked** (i. e. the times when lovers were constant, and did not trust to bribes), I should be what you now are (viz. in favour with Cynthia)". Quae grandioribus litteris imprimenda curavi, ex verbis Latinis elici nequeunt, quod quisque mihi assentietur.

Sandstroemius (Emendat. in Prop. Lucan. Ups. 1878 p. 7) proponebat *casta* pro *grata* quod versum non meliorem reddit. Sed cur spernitur emendatio [2]) Dousae filii: at si saecla forent *antiqua his* grata puellis?

Vitium ortum est, cum librarius librario dictaret.

40. at vos, qui officia in multos revocatis amores,
quantum sic cruciat lumina *nostra* dolor!

Sic legimus in omnibus manuscriptis praeterquam in DV, quae

---

[1]) Sic Passeratius probante Risbergio.

[2]) Sic quoque Hartman locum intelligit, qui Batave vertit: *hoe vaak zij u ook uitnoodigt, ga slechts een enkele maal.*

[3]) Quod Postgate in editione anni 1894 in textu ponit (ex codice Passeratii):
quod si saecla forent gratis antiqua puellis
probari non potest, nisi etiam *gratis* mutatur, e. g. in *castis*, quod totam coniecturam minus verisimilem reddit. In Postgatii coniectura *gratis ... puellis* illum ablativum esse, quem Propertius tantopere in deliciis habet (= eo tempore cum puellae gratae erant), vix est quod moneam.

vestra praebent. Nostra servant Rothsteinius et Phillimorius, quorum ille annotat: „in lumina nostra sind die Männer überhaupt gemeint". Absurde, cum praesertim vidistis ter repetitum sequatur, et vos praecedat.
Hic quoque DV verum praebent.

42. Pro fusco sine dubio legendum est fuscam cum L. Muellero. Si fusco retineatur, quisque candore suppleat, nemo tamen colore, ut Rothstein vult. Neutrum autem defendi potest, cum illud parum Latine, hoc nimis obscure dicatur.

43. Hoc versu Neapolitanus legit:

vidistis quadam (l: quandam) Argiva prodire figura;

DVFL autem eleganter scribunt:

vidistis quandam Argiva (l. Argivam) prodente figura

idque ab Baehrensio, quod exspectamus, in textu positum est. Solbisky quoque (de Codicibus Propertianis p. 177) scribit se sibi persuadere nequire prodente e forma notissima prodire corruptum esse. Ego, ubi utraque lectio defendi potest, tutius habeo Neapolitanum ducem sequi.

47. Offendit complures viros doctos, quod hoc versu pronomine secundae personae singularis poeta utitur, cum praecedentibus versibus numerum pluralem adhibuerit.
Ut huic incommodo subveniret Marklandus meis coniecit, quod tamen in sententia quae in universum pronuntiatur probare non possum, neque persuasit mihi Housmanus[1]) quem in editione 1894 secutus est Postgatius inter versum 46 et 47 lacunam esse statuendam. Nam distichon 47. 48 eodem modo iis quae praecedunt adnectitur atque versus 29. 30 tertiae elegiae libri primi:

---

[1]) JPh. XVI, p. 7: exempli gratia supplet:

quin tu vulgares, demens, compescis amores
in poenamque vagus desinis esse tuam.

non ego nunc vereor ne sim tibi vilior istis:
uni si qua placet, culta puella sat est:
cum tibi praesertim Phoebus sua carmina donet,
Aoniamque libens Calliopea lyram.

Quod autem pronominis numerus mutatur, comparo II, 23, 3—9:

ingenuus quisquam alterius dat munera servo,
ut promissa suae verba ferat dominae?
et quaerit totiens „Quaenam nunc porticus illam
integit?" et „Campo quo movet illa pedes?"
deinde, ubi pertuleris, quos dicit fama labores
Herculis, ut scribat „muneris ecquid habes?"
cernere uti possis vultum custodis amari.

ELEGIA XXVI.

Ad versum 21 huius elegiae Burmannus annotat: „novam elegiam hic incohandam nemo facile negabit, quia sequentia nihil commune habent cum praecedentibus de somnio Propertii, quod optime illo versu absolvitur: cum mihi discussit talia visa metus."

Eum secuti sunt fere omnes editores Hertzbergio Paleyo Phillimorio exceptis quorum Hertzbergius: „Quo pulcherrima illa somnii visio" inquit „nisi ad certum finem et exitum ducat? An in fumum temere abire omnia dicas?"

Sed etsi poeta in utroque carmine de itinere maritimo vel potius de naufragio agit, suamque fidem in extremis periculis testatur (cf. v. 19: ut puellam servet, de summo saxo desulturus est), alterius partis initio novum inducens argumentum aemulum a se remotum esse elato animo narrare incipit, deinde denuo de fide sua loquitur: primo autem versu (21) novam incipere elegiam quivis sentit.

5. 6. Versus 5. 6. Burmannus post 8 transponere voluit.
Versum 6 „aurea quam molli tergore vexit ovis" non bene dici de Hella, quae fluctibus agitatur et cum Cynthia submersa confertur, putat Hartman, cui Burmannus persuasit. Sed haec difficultas mihi non ita gravis videtur; versus 5 non describit, ubi Helle fuerit, cum fluctibus iactaretur, sed ad Hellen melius significandam additus est a poeta. Praeterea suo iure observat Otto (Versumstell. I. p. 13): „Was jetzt ein anschauliches, malerisches Bild giebt, wohl geeignet, die mit den Wogen kämpfende Cynthia deutlich vor unsere Augen treten zu lassen, sinkt dann herab zu einem blossen Beispiele, einer mythologischen Notiz, die mit der geschilderten Situation nur äusserlich zusammenhängt."

8. Fortasse cum Heinsio legendum:
teque tua labens navita fleret aqua.

10. Pro quaeque tibi excepi Heinsius coniciebat „quae tibi suscepi." Sed excipere pro suscipere recte habet; iure enim Postgate (Select elegies p. 138) annotat: „the sense is that Propertius untertook to do what they should command, cf. Sen. H. F. 42 laetus imperia excipit; Nep. Dion 8, 3 excepit has partes ipse Callicrates."

11. 12. Hoc loco spernunt viri docti Hartmano excepto necessariam transpositionem Baehrensii, qui 11—12 post 18 posuit.
In textu tradito nequaquam intelligimus, cur Propertius eo ipso temporis momento de saxo desulturus sit, cum delphinum subsidio currere vidit. Baehrensii coniectura recepta omnia bene procedunt, ut ex Ottonis (Versumst. I. p. 13) verbis apparet: „Properz sah einen Delphin der Untersinkenden zu Hilfe eilen, aber es war schon zu spät, Cynthia war schon am Versinken (vix primas extollens gurgite palmas), da schwingt sich Properz selbst hinab in die Flut und — erwacht!" Si ulla, haec transpositio

certa est; mirum quod editores tales coniecturas spernunt; sed tamen nemo quicquam annotat quod locum explicare possit!

15. Hoc versu Baehrensius iniuria prae invidia lectionem O praetulit Neapolitani lectioni ob invidiam cf. Housm. JPh. XXI p. 130.

23. Pro Cambysae cum Schadero lego iam Gygae. Vahlenus in textum recipit: Cambletae ex coniectura Bergkii, qui hunc locum ex Athenaeo X p. 415 C comparat:
Ξάνθος δὲ ἐν τοῖς Λυδιακοῖς Κάμβλητά φησι, τὸν βασιλεύσαντα Λυδῶν, πολυφάγον γενέσθαι καὶ πολυπότην, ἔτι δε γαστρίμαργον.
At nihil de eius divitiis legimus, ut Rothstein (Anhang p. 350) observat.

28. Multum in amore fides, multum constantia prodest:
qui dare multa potest, multa et amare potest.

Pentameter legenti difficultatem praebet[1]); si enim qui dare multa potest de amatoribus fidis qualis Propertius est, accipimus, pro verbo dandi aliud e.g. durare exspectamus, quod sentiens Hieronymus de Bosch coniecit:

qui durare potest multa, et amare potest.

Si de aemulo Propertii cogitamus, ut Rothsteinius vult, totus versus, etiamsi signum interrogationis addimus, hic obscurissimus est. Quid igitur? Coniunctio seu (versu 29) monstrat, ut Rohtstein vidit, alterum distichon, quod coniunctione seu incipiebat, desiderari. Haec me movent, ut cogitem pentametrum quoque, pro quo nunc:

qui dare multa potest, multa et amare potest

habemus in archetypo legi non potuisse; quas ob causas nostrum

---

[1]) Accedit, ut versus ingratissimus sit auribus, quod etiam de coniectura Hieronymi de B. dici potest.

pentametrum cum Broukhusio interpolatum duco, qui interpolatorem Ovidii versum Am. III. 8. 62

imperat ut captae, qui dare multa potest

ante oculos habuisse opinabatur.

Contra Baehrensium[1]), qui 31.32 post 33.34 transposuit, Otto (Versumstellungen I p. 14) textum traditum defendit, totumque locum sic explicat: „Sogar über das Meer will der Dichter seiner Geliebten folgen. Welche Freude wird es sein, mit ihr von demselben gelinden Fahrwinde dahingeführt zu werden, nach Belieben am Gestade zu rasten, unter demselben Baume zu lagern und sich an derselben Quelle zu erfrischen, um dann die Fahrt fortzusetzen, welche Freude, mit ihr auf demselben Brette im Schiffe zu ruhen." Verba, um dann die Fahrt fortzusetzen, Otto de suo addidit; et profecto si textum traditum defendimus, plane necessaria sunt neque ullo modo desiderari possunt, sed ipse Otto sua interpretatione monstrat Baehrensii transpositione nobis opus esse, nam sine Ottone nemo haec in textu tradito leget.

39. et qui movistis duo litora, cum ratis Argo
dux erat ignoto missa columba mari.

Litora mihi, ut L. Muellero et Baehrensio, non ab ipso poeta scriptum esse videtur; ex versu praecedente irrepsisse probabilis opinio Muelleri est. Verisimillimum est Palmerum verum vidisse scribendo: et qui movistis duo (montes), cum ....

cf. Valer. Flacc. II. 381:

.... dum spes mihi sistere montes

et IV. 707: unde per hos iterum montes fuga?

Pro ratis Argo Volscus coniecit rudis Argus, quod olim ab omnibus probatum nunc auctore Ellisio a Palmero

[1]) Eum Hartmanus quoque sequitur.

Rothsteinio Phillimorio reicitur. Ellis [1]) enim Argo pro dativo nominis proprii Argus habet, qui fabricator puppis erat (cf. Apoll. Rhod. Arg. 1.18).

Sed si poeta haec dicere voluisset: „navis dux erat columba Argo", genitivo Argi usus esset, quo fabricator melius significatus esset; nunc Argus dux, non fabricator esse videtur.

Lego igitur rudis Argus. Idem vitium reperiri in Priap. 67. 1 praeterea observat Mueller (praef. ed. p. XXXI).

53. Crede mihi, nobis mitescet Scylla, nec umquam
alternante vorans vasta Charybdis aqua.

Vorans quod fere omnes editores recentiores corrigunt Paley et Phillemore intactum relinquunt, quorum ille nec unquam Scylla vorans cum Hertzbergio explicat: et Scylla (mitescet) nunquam vorans sc. naves aestu absorbens. Unusquisque qui haec legit, cogitabit poetam de Scylla dicere eam nunquam naves absorbere; nunquam vorans navem nostram supplere durissimum est. Scribe igitur cum Ayrmanno: vacans. Pro mitescet Baehrensius recepit lectionem DVL: mutescet; sed vera est observatio Housmani (JPh. XXI p. 188), si Scylla mutescat, eam etiam periculosiorem fore quam antea.

ELEGIA XXVII.

5\. 6. Si versus 5 et 6 cum praecedentibus coniungimus, ut Rothsteinius vult, pluralis primae personae sequimur post quaeritis durissimus est.

Olim igitur ab Italis sequimur in sequitur [2]) (sc. homo) mutatum est. Sed ne sic quidem vitium tollitur, nam seu pedibus sequitur non a pentametro 4 pendet, sed ab hexametro.

[1]) Univ. Coll. prof. dissert. 1872. 73.

[2]) Sic quoque scribit Mueller.

Aliam viam ingressus Heimreichius versus 5. 6 post 12 transponere volebat, cui adstipulatur Hartman. Sed restat in pentametro difficultas quaedam;

pericla viae maris et terrae

durissime enuntiatum est.

Waardenburgius autem aliquid excogitavit, quo recepto [1]) utrumque incommodum felicissime tollitur. Distichon 5. 6 sic refingit:

seu pedibus Parthos sequimur seu classe Britannos,
et maris et terrae caeca perinde viast.

Nunc pluralis primae personae non iam offendit, nam refutat in universum loquens eos qui funeris horam quaerunt; quocunque enim nos conferimus, ubique nostra via caeca. Praeterea alterum vitium remotum est.

7. Pro fletus quod legimus in N recte Housman (JPh. XXI, 118) restituit fles tu, quod magis placet quam Italorum coniectura fletis, propterea quod sic transitus ad metuis — sic enim cum Muellero pro domibus(que) versu 9 legendum est — minus durus est.

Pro tumultum cum codice Musei Britannici 23766 tumultu (= tumultui) legimus; deinde cum Neapolitano caput scribimus: cf. praeterea Housmanum JPh. XXI, p. 189.

ELEGIA XXVIII.

Versus 33—34 post 1—2 transponendos esse Passeratius credidit, sed nemo editorum recentiorum eum sequi ausus est praeter Baehrensium, qui tamen versus 33—46 post 1—2 ponere volebat. A quo dissentit Postgate, qui 3—32 pro fragmento carminis habet, cuius initium deest. Videamus, igitur quid nobis statuendum videatur.

---

[1]) Recepit Postgate in editione 1894; cf. Ov. Am. II, 11, 16.

Si quis primam carminis partem, quae versu 32

et deus et durus vertitur ipse dies

clauditur, attente perlegit, fieri non potest, quin sentiat versus 33—34 post 31—32 sequi non posse.

T i b i, de Iove dictum, postquam poeta praecedentibus versibus puellam allocuta est, durissimum est, sed aliud gravius argumentum habemus: carmen nostrum trilogia quaedam est magna arte composita ita, ut in priore parte qua poeta nobis narrat, cur puella aegra facta sit, morbus non tam gravis[1]) depingatur, in altera parte morbus aggravescere videatur, postremo autem carmine audiamus puellam paulatim convalescere, tandem suas vires recepisse. Illa re bene perspecta sequitur, ut versus 32 prioris partis finis esse debeat.

Nusquam autem melius poni possunt vs. 33. 34. quam post primum distichon. Nam quae Lachmannus contra hanc transpositionem affert, facile redargui possunt. „Nec tertius versus", inquit „a secundo separari debuit, nec versus 41 intelligi potest, nisi hic iam Iuppiter appelletur". Sed post 1, 2, 33, 34 optime sequitur:

Venit enim tempus, quo torridus aestuat aer;

si enim verum est, quod Paley scribit, quamquam cum Lachmanno stat: „e n i m refers to m o r t u a, and implies that the hopes of her recovery were but slight at that s e a s o n", aeque bene e n i m se habet opinor, si haec praecedunt:

Frangitur et Iuno, si qua puella p e r i t.

„Ne quis, inquit Propertius, me p e r i t dicere miretur, secum reputet, quale tempus anni sit: v e n i t e n i m t e m p u s."

De altero Lachmanni argumento observo m i s e r e r e versu 41 a quoque intellectum iri, quod carminis pars prima a Iovis nomine incipit; elegia autem, quamvis ex tribus partibus constet, una est.

---

1) cf. versum 16: extremo veniet mollior hora die
32: et deus et durus vertitur ipse dies.

Quae si recte disputata sunt, sequitur, ut Postgate iniuria versus 3—32 pro fragmento habuerit eque contextu eiecerit.
Restat ut de Baehrensii transpositione quid censeamus proferamus.

Quominus eum sequamur, primum impedit, quod ut iam observavimus, aliam mentem spirant versus 3–32, atque 35–46. Recte Otto (Die Versumstell. I p. 14): „Es ist (Baehrens) entgangen, dass die Idee und der ganze Ton dieser Verse von dem zu Anfang des Gedichtes herrschenden gänzlich verschieden ist". Deinde alterum quoque Ottonis argumentum contra Baehrensium pugnat: „Properz kann unmöglich die näheren Mitteilungen über die Krankheit Cynthias (v. 3 ff.) mitten hinein geschoben haben in die daran geknüpften Betrachtungen, wie dies bei Bährens der Fall wäre.
Apparet igitur carmen nostrum unum esse, sed ex tribus partibus constare, quae parvo spatio segregata imprimenda sunt. (I: 1. 2. 33. 34. 3–32, II 35–46, III. 47—62.)

Videamus nunc de singulis locis difficilioribus

10. illa peraeque
prae se formosis invidiosa dea est.

contra Lachmannum recte defendit Vahlenus (Monatsb. Akad. Wiss. Berlin 1881 p. 344 sq.)

19. Ino etiam prima terris aetate vagata est.
Rothsteinius citata Hygini fabula 4:
„Athamas in Thessalia rex cum Inonem uxorem ex qua duos filios (peperit) periisse putaret, duxit Nymphae filiam Themistonem uxorem: ex ea geminos filios procreavit. Postea resciit Inonem in Parnaso esse, quam bacchationis causa eo pervenisse" annotat: „Es ist möglich dass Properz hier an dieses bacchantische Treiben in der Fremde denkt". Sed in his Hygini versibus nihil auxilii ad Propertii verba: *terris vagata est* explicanda, praesertim cum *bacchationis causa*, quid sibi velit, non appareat.

Alter locus Apollodori III. 28, quem citat Rothsteinius, a nostro prorsus alienus est. Postremo versum obscurum explicare conatur fingendo in fabulis nobis ignotis narratum esse Inonem per terras erravisse, quod ex Ovidii Tastis V. 541 appareat. Sed hoc loco nihil legimus nisi Inonem a Nerei filiabus per mare ad Tiberim latam esse.

Quidquid id est, alia de Ino nobis narrari exspectamus quam quod terris vagata est. Fortasse cum Jacobo quem sequuntur Luc. Mueller et Hartman scribendum est:

Ino etiam prima Thebis aetate fugata est.

21. Andromede monstris fuerat devota marinis

Devota optima lectio Neapolitani est; quod in D V F L legimus monstrata ortum est, ut recte explicat Sobisky, (De Codic. Prop. p. 169) lapsu librarii, cui monstris in mente haerebat. Coniecturae Baehrensii sacrata et Ellisii prostrata ex nihilo fictae sunt. Iniuria igitur Baehrensius (Proleg. edit. p. XXIX) devota pro Italorum commento habet.

26. quod si forte tibi properarint fata quietem,
illa sepulturae fata beata tuae,
narrabis Semelae, etc.

Sic legunt cum codicibus Vahlen Rothstein Palmer Luc. Mueller Phillimore.

Iure tamen rogat Lachmannus: „Quis ferat fata priore versu proprie posita, altero pro sorte?

Hanc ob causam locum sic restituo:

quod si forte tibi properarint fata quietem,
ipsa, sepultura facta beata tua, narrabis etc.

ipsa et facta coniecturae Italorum, sepultura.... tua Marklandi inventum est.

29. et tibi Maeonias inter heroidas omnis

Sic Neapolitanus cum F; DV [1]) omnes herodias (l. heroidas) inter legunt, quod Baehrensius confirmari putat ab Ovidio Trist. I. 6, 33. Sed confer, apud nostrum:

II. 8, 8: vinceris aut vincis, haec in amore rota est.

IV. 1, 17. nulli cura fuit externos quaere divos.

De talibus locis valet, quod Phillimore (praefat.) scribit: „Ipse apparatus criticus (codices A F D V) plurimis locis interpolatos monstrat, cum vel duriuscule et exquisitius ut est Propertii mos dicta in facilius refingunt, vel hiatum tollunt, vel numeros inusitatos ad tritum modulum refingunt".

Tales numeros revere refictos esse docet Groninganus, qui interque legit.

36. Pro iacet ex coniectura Canteri tacet lego collato Ovid. Fast. IV versu 742:

et crepet in mediis laurus adusta focis;

nostro loco verbum tacendi crepandi verbo apud Ovidium oppositum est.

39. 40. De hoc disticho et sequenti eodem modo iudico atque Otto qui sic scribit: (Neue Beiträge zur Erklär. des Prop. Hermes 23 p. 37): „die Stellung dieser beiden Distichen (39—42) ist eine sehr auffällige, da die beiden ersten Verse offenbar nur eine Fortsetzung und Weiterführung des Hauptgedankes in v. 42 enthalten: si cadet, illa cadam. Naturgemäss geht doch die Bitte voran und erst dann folgt die Eventualität, welche eintreten wird, im Falle sie abschlägig beschieden werden sollte. V. 39. 40. sind and ihrem jetzigen Platze entschieden ganz unvermittelt, der fehlende Zusammenhang wird aber sofort hingestellt, wenn wir in dem umgestelten Verse 41 mit den Neapolit. lesen: Sed non unius." Hae difficultates prorsus removentur, si cum Ottone disticha 39. 40. et 41. 42. inter se transponimus. Ex editoribus tamen

[1]) Lectionem DV Postgate Palmer(!) veram ducunt.

nemo Ottonem secutus est praeter Postgatium (edit. anni 1894.)

53. et quot + Troia tulit, vetus et quot Achaia formas,
et + Phoebi et Priami diruta regna senis.

Locum haud dubie corruptum infeliciter defendit Rothsteinius: „nur auf Troja geht die Apposition im Pentameter, über das zweite Subject hinweg." Sic omnia explicare possumus; piget locos exscribere quos ad aperte vitiosa defendenda citat, nam, ut quisque intelligit, illi a nostro loco prorsus diversi sunt; vitiosa defendi non possunt. Talibus adnotationibus pessumdatur philologia. Quid pro Troia legendum sit, incertum est; maxime placet Rossbergii coniectura Creta.

Pro Phoebo cum Scaligero Thebae legendum videtur; eiusdem generis vitium legimus III, ubi pro Thebas agitata per artem: Phoebeam agitata per artem restituendum est.

56. .... has omnis ignis avarus habet

Cum Baehrensio nego ignis defendi posse.

Quod ipse proposuit Orcus a verbo tradito nimis distat.

Ego conicio: has omnes imus Avernus habet.

Ignis non potest accipi nisi de rogo; sed si ita vertimus, verbum habet non recte adhibetur.

57. 58. Hi versus a Rothsteinio mihi recte defendi videntur contra Fonteinium, qui eos spurios ducit.

62. Pro et mihi cum Baehrensio et Hartmano Isidi lego; votivas noctes non de amoribus dici potest; quod vero Postgate post votivas interpungit, id mihi non verisimile videtur.

ELEGIA XXIX.

1. Primus statim lepidissimi huius carminis versus legentibus permagnas difficultates peperit, nequedum verum repertum est. Sed quaestio, quid ipse poeta hic dederit, arcte cum altera cohaeret, utrum inde a versu 23 nova elegia incipiat — id quod putant Guyetus Rossbergius [1]), Sandstroemius, Eschenburgius (Observ. cr. p. 36). Rothsteinius, Ites (De Properti elegiis inter se conexis p. 47) necne.

Quid totum carmen sibi velit, recte explicat Baehrensius in prolegomenis editionis suae (p. XXIV): „Cynthia postquam totam per noctem Propertium frustra exspectavit, cum ille luce appropinquante tandem veniret, irata tamquam num ipsa sola cubaret speculaturum in longum tempus exclusit. iam in gratiam cum amasia rediens poeta hoc carmine, quo minus ipsum factum negare potuit, eo magis foedam illam suspicionem (se quasi speculatorem adfuisse) diluere studuit: bene potum et comissantem se ab ipsis Amoribus tamquam puellae famulis deductum domum eius intrasse, aditurum, modo sola esset; et dum crimina a Cynthia sibi obiecta exponit, simul et veneres eius et castitatem feminae commotae blanditurus pulchre depingit finemque facit sanctitatem amoris sui testificando miseriasque ex illo tempore perlatas commemorando".
Videamus autem, quibus argumentis Rothsteinius (Anhang p. 351) usus sit, ut nobis persuaderet carmen in duas partes nullo vinculo cohaerentes dividendum esse.

Primum h e s t e r n a n o c t e (v. 1.) cum ultimo versu: „ex illo

---

[1]) Postea Guyeti opinionem reiecit (Fleck. Jahrb. 1883, p. 72); recte praeterea m a n e e r a t (v. 23) interpretatur: „n u n war's morgen", cf. Ov. Fa. I 547; ep. Hyperm. 79.

felix nox (sic cum Italis legendum est, non iniuria servat Phillimore) mihi nulla fuit", pugnare observat.
Sed haec difficultas iamdudum sublata est Heinsii emendatione: extrema. Quae de hac correctione Rothsteinius observat: „die Vermutung, extrema nocte für hesterna nocte löst die Schwierigkeit nicht, denn die Mitteilung des Dichters an seine Geliebte kann man sich nicht wohl anders als unmittelbar nach dem erzählten Ereignis denken (vgl. IV. 8. 1 disce, quid Esquilias hac nocte fugarit aquosas), auch wenn es nicht ausdrücklich gesagt wird; gewiss nicht dann, wenn der Dichter seitdem überhaupt nicht mehr mit seiner Geliebten zusammengekommen ist (v. 41)", nihil demonstrant.

Deinde negat Rothstein poetam quid ipsa Cynthia egerit dixeritve, ei narrare posse. Hoc argumentum valeret, si credendum esset mea lux vel modo lux ab ipso poeta scriptum esse. Sed dubitationem movet quod Nvf ex correctione mea lux legunt, cum O exhibeat modo lux. Baehrensius vocem modo genuinam esse putans statuit vocem lux olim inculcatam esse ab eo qui in suo exemplari nil nisi hesterna modo cum potus nocte vagarer invenisset et illud lux ex antecedentis elegiae v. 59 sumpsisset; deinde a correctore Italo modo in mea mutatum esse. „At quomodo, inquit Solbisky, (De Codicibus Prop. p. 179) prior ille interpolator ad lacunam explendam incidere poterat in hunc versum, praesertim cum illa allocutio ei, de quo agimus, carmini ne conveniat quidem".
Quid igitur? Ergone statuendum est Neapolitanum, ut solet, verum servasse? Non opinor, blanda illa vox a nostro carmina alienissima est. Ego credo modo lux nihil esse nisi interpretamentum antiquo tempore ad extrema nocte adscriptum quod vocem genuinam expulerit. Haec Solbiskyus quoque coniecit, qui tamen se ignorare dicebat, quomodo totus versus restituendus esset.
Dubitanter, ut in re incerta, propono:

Extrema nuper cum potus nocte vagarer.
Tertium Rothsteinii argumentum hoc est: „in der ersten Elegie weist alles darauf hin, dass sie zu einer dauernden Vereinigung der beiden Liebenden führen soll, nachdem der Dichter versprochen hat, in Zukunft nicht mehr so leichtsinnig zu sein; die Abweisung in der zweiten Elegie lässt sich mit dem Bilde der sehnsuchtig wartenden Geliebten in der ersten nicht vereinigen".
At Cynthiam etiam in priore elegiae parte iratam esse significat versus 9:

hic erat, hunc mulier nobis irata notavit:

versus 22 autem: I nunc et noctes disce manere domi
nostrae interpretationi prorsus non obstat, nam ad poenam, quae poetam sequetur, iam alludit.

Accedit, quod vs. 23, licet Rothsteinius contrarium contendat, non facile initium novi carminis esse potest. Minime enim carmine cum Guyeto eiusque asseclis diviso intelligimus, cur mane potissimum Cynthiam speculatum eat, cur non media nocte eam visat, neque cur noctem non apud puellam degerit: iure igitur Baehrensius observat nos, si carmen dividamus, duos nancisci pannos, quorum alteri caput desit. Totum autem carmen conferendum est cum I, 3, cf. Solbisk. p. 179.
Haec habeo, quae de carminis compositione dicam; restat, ut quomodo singuli versus legendi sint, indagemus.

3. Pro turba minuta[1]) Baehrensius legit turba minata, contendens minuta refelli vocibus nescio quot (quod tamen optime vertitur vocabulo nonnulli) et vetuit numerare (cur non dici potest poetam prae timore turbam, quamvis parvam, numerare non potuisse); „unde ille timor venerit", inquit Baehrensius, „scire cupimus"; responsum praesto est; timet poeta, quo-

---

[1]) Hartman illa vocabula vertit: „een troep dwergjes".

niam pueros cum sagittis vinclisque sibi obviam venientes videt. Nihil igitur mutandum.

7. sed nudi fuerant. Haec verba multis vitiosa videntur, e quibus Weidgen (Quaest. Prop. I. 1881.): sed nitidi, Rossberg (Jahrb. f. klass. Phil. 1883.): semidei fuerunt, Postgate in editione (1894): sed nudi hi fuerant (sc. inermes, cum et faces et sagittae tela sint) proposuerunt. Fonteinius coniecerat: ut tunica (vel: nudum) exuerant, horum, Baehrensius: nec nudi fuerunt.

Textum traditum feliciter defendit Otto: (Neue Beiträge zur erklär. d. Prop. Hermes 23. p. 37). Der Dichter, erst in der Frühstunde von einem Gelage heimkehrend, begegnet plötzlich auf der Strasse einer Unzahl knabenhafter Gestalten, die mit Fackeln und Pfeilen bewehrt, sich feindselig ihm entgegenstellen und ihm Fesseln anzulegen drohen. Aber, und dies war das auffallendste an ihnen, diese kriegerische Ausrüsting contrastirte eigenthümlich mit ihrer Nacktheit. Es waren eben nicht menschliche Knaben, sondern Amoretten. Hätte der Dichter diesen Mangel an Kleidung nicht besonders erwähnt, so würde die Eigenschaft dieser Knaben als göttlicher nicht zu erkennen gewesen sein. Auch das folgende lascivior stimmt gut zu diesem nudi fuerant."

8. hic erat, hunc mulier nobis irata locavit; interpretes adnotant: pretio proposito excruciandum (vel: prendendum) tradidit.

Durissimum est quod gerundivum omittitur, neque conferri possunt loci, quales sunt: Liv. V. 23 Junoni templum locavit i.e. exstruendum curavit; Liv. XXVII 10: cetero auro usi sunt ad vestimenta praesenti pecunia locanda exercitui; Cic. Rosc. Am. 20: anseribus cibaria publice locantur.

Plinius, lib. X. cibaria anseribus Censores in primis locant.

Omnibus his locis locandi verbum suam sibi significationem

habet, quam verbo Germanico verdingen (Batave: aanbesteden) bene redditur.

Quam ob causam nescio an cum Muellero (Rhein. Mus. XX. 473) et Cornelissen nostrate (Mnemos. N.S. 1879. p. 102) restituendum sit: hunc mulier nobis irata notavit.

14. Scribe cum Dousa patre:

at tu nescio quas quaeris, inepte, foris

Rothsteinius fores defendit: „Der Dichter sucht nach einer Thür, um vor ihr zu liegen, während er es doch soviel besser haben könnte". Explicatio sanequam contorta atque obscura!

21. atque ita me iniecto duxerunt rursus amictu.

Sic NFLDV; at ubi audivimus Amores poetam veste exuisse? Eandem ob causam reicio Heinsii coniecturam:

atque ita mi iniecto dixerunt rursus amictu,

quam Lachmannus quique ab eius disciplina sunt in textum recipiunt.

Baehrensius Leo Solbisky (De Codic. Prop. p. 155.) iniectum amictum de nodo, quo vinctum se esse a pueris Propertius v. 10 dicit interpretati sunt; quorum primus pro duxerunt solverunt, Leo et Solbisky melius laxarunt proposuerunt. Sed Amores poetam amictu iniecto ligasse, cum vincula iis praesto essent, non facile credam quam ob causam mihi Gul. Fischeri emendatio verisimillima videtur:

atque ita me in tectum duxerunt rursus amicae.

27. 28. Hoc distichon Fonteinius et Rossbergius (Lucubrat. Prop. p. 18) post 40 transponendum esse crediderunt.

Rossberg versus huc non facere et sententiarum nexum vehementissime rumpere contendit. Sed bene locus ita explicatur ab Ottone (Versumst. I p. 15): „niemals vorher war mir Cynthia schöner erschienen, selbst damals nicht, als sie in purpurner

Tunika in den Tempel der Vesta ging, um dort ihre Träume zu erzählen, auf dass uns beiden kein Unfall zustosse."

30. Cum L. Muellero lego: en quantum etc. pro h e u. [1])

31. Cum Daventriensi lege:

Q u i d tu matutinus, ait, speculator amicae

q u o d (sic Phillimore cum N F L) defendi nequit; Italorum coniectura q u o t u paulo obscurior est hoc loco, possis enim intelligere: quo is?

36. apparent non ulla toro vestigia presso,

signa volutantis nec iacuisse duos

Sic legitur in codice Holkhamico; quod N F legunt v o l u n t a t i s leviter corruptum [2]) esse quisque videt.

Baehrensius Vahlen Rothstein

signa voluptatis nec iacuisse duos

legunt cum DV.

Quominus v o l u t a n t i s (= volutantes) legamus, nos deterrere conatur Hertzbergius, qui volutandi verbum pecorum potius libidinis quam hominum esse monet, nec, velut Graecum *κυλινδεῖσθαι*, de hominibus usurpari nisi ad turpissimam nequitiam notandam; cum Hertzbergio facit Solbisky (De Cod. Prop. 189). At hoc argumentum Hertzbergii iam Baehrensius refutavit scribendo: v o l u t a n t e s qui Cynthiae ori convenire negant, eam contemptim loqui obliviscuntur.

Et profecto non video, cur Neapolitani lectio — leviter correcta — deserenda sit.

Sententiae constructio haec est: nulla apparent vestigia toro presso, nec signa volutantis duos iacuisse.

---

[1]) cf. IV. 1, 40, ubi pro h e u Itali e n coniecerunt.

[2]) eadem corruptela invenitur Sen. rhet. p. 87. 7 K: v o l u n t a t i o n e pro v o l u t a t i o n e. (Otto, Hermes, 23. p. 37).

41. sic ego tam sancti custode reludor amoris

sic versus legitur in N; longum est omnes coniecturas enumerare; mihi maxime arridet Housmani (JPh. XXII, 87) commentum:

sic ego tam sancti custos deludor amoris.

ELEGIA XXX.

Haec elegia, de qua nunc disputaturi sumus, inter difficillimas nostri poetae habenda est; et quamquam iam anno 1864 vir doctus Lindner (Fleckeis. Jahrb. '64, p. 737) satis prudenter de ea egit, in omnibus editionibus tam mendose scripta est, quam ante Lindnerum. Evolve tantum editionem Postgatii [1]) (1894), ubi pro una elegia mera fragmenta invenies; qui autem nuperrime nostrum carmen tractavit, Marcus Ites (De Prop. eleg. inters e conexis p. 48) de carmine restituendo desperare videtur, scribit enim: „duo esse carmina ponere possumus, quorum unum vss. 27—40 cum 13—18 efficiunt (quo ordine nescio), vss. 1—12 autum initium alterius sunt". Operae igitur pretium esse videtur, quid de tota hac quaestione iudicandum sit, accuratius quaerere. Versus 13—18 cum praecedentibus prorsus non cohaerent. Si tamen ante versum 37 transponuntur, h i c l o c u s recte de muscosis illis iugis, ubi Musarum sedes est, adhibetur; accedit, quod h i c versu 37 et h i c versu 16 bis repetitum colorem habet vere Propertianum.

Versus 31—32 post versum 36 ponendi sunt, ut prius omnia exempla, quibus Amoris vis perspiciatur, enumerentur. Post 31. 32 autem optime sequuntur versus transpositi 13—18:

quod si nemo exstat qui vicerit Alitis arma,
    communis culpae cur reus unus agor?
ista senes licet accusent convivia duri,
    nos modo propositum, vita, teramus iter.

---

[1]) cf. etiam Housmanum JPh. XVI, p. 8.

Accusandi verbum iam praesignificatur voce r e u s. [1])
Versus 19—22 ubi ponendi sint, tum demum dici potest, postquam statuimus, quid versu 19 legendum sit. Ipsa enim manuscripta hoc versu in diversa abeunt. Neapolitanus haec habet:

non tamen immerito Phrygias nunc ire per undas;

in D V F L legimus:

nunc tu dura paras Phrygias nunc ire per undas

Inter editores soli Rothsteinius et Phillimorius in suis editionibus Neapolitani lectionem retinent versum 19 sic scribentes:

non tamen immerito! Phrygias nunc ire per undas.

sed neutri contigit, ut e vocabulis n o n t a m e n i m m e r i t o bonum excuteret sensum. Lege enim Rothsteinii adnotationem: „mit schroffem Uebergang kehrt der Dichter zum Ausgangspunkt des ganzen Gedichtes zurück zu der traurigen Lage des Freundes, der sich seinem Liebeskummer durch Entfernung aus der Heimat entziehen will. An das Gesamtbild der Lage dieses Freundes, das sich aus dem Vorhergehenden ergiebt, knüpft n o n t a m e n i m m e r i t o, nicht an ein einzelnes Wort."
Neque magis placet Phillimorii interpretatio: „Not without reason though? Travel the Phrygian wave now, w o u l d y o u h a v e m e", namque non opus est dicere ultimorum verborum, quae addita sunt, ut melior evaderet sententia, nullum vestigium legi in verbis Latinis.
Sed accedit, ut unde venerint verba illa mira, cum probabilitate magna dicere possimus. Observavit enim Lucianus Muellerus (praefat. ed. p. VII) Neapolitani librarium pessime recordatum III, 19, 27: non tamen immerito Minos sedet arbiter Orci illud n o n t a m e n i m m e r i t o invexisse. Recte Housmanus quoque: „the scribe saw before him $\overline{\text{nc}}$ tu (= nunc tu) which he mistook for n$\overline{\text{o}}$ t$\overline{\text{n}}$ (= non tamen); the other verse came into

---

[1]) Dubitari tamen potest, an versus 13—18 cum Caruttio post versum 24 ponendi sint; sic a c c u s a n d i verbum vocabulo c r i m e n praesignificatur.

his head and he carelessly added inmerito instead of dura paras (JPh. XXI p. 154.)

Hoc loco igitur O verum servavit, quamquam pro dura dure legendum est, quoniam de Cynthia in bellum proficiscente cogitare absurdum est. Totus versus sic scribatur:

num tu, dure, paras Phrygias nunc ire per undas.

De coniecturis eorum virorum doctorum, qui ex Neapolitano profecti non tamen immerito coniectura emendare volebant iam disputavit Solbiskyus (De Codic. Prop. p. 173 sqq). Cum iam de lectione versus 19 egerimus, restat, ut quaeramus, in quemnam locum duo illa disticha (vs. 19—22) transponenda sint.[1]) Post commotam illam versuum 1—12 orationem ineptissime sequi interrogationem: „num iam paras ire in terras externas" quivis sentiet. Praeterea versus 23. 24:

una contentum pudeat me vivere amica?
hoc si crimen erit, crimen Amoris erit

melius post versum 12 sequuntur; sic enim 23. 24 cum praecedentibus cohaerent: „Num putas, dure, in alias terras abeundo te Amorem vincere posse; nihil agis; quocumque te conferes, semper Amor te sequetur; nunquam et nusquam liber eris; ergo me pudebit meam puellam amare? hoc si crimen est, non ego accusandus sum, sed Amor"! Vides igitur me cum viro docto Carutti (vide eius editionem p. 82) versus 19—22 ante versum 1 transponere velle, non tamen credo Propertium se ipsum alloqui, cum mihi non verisimile videatur poetam initio se ipsum alloqui, deinde subito prima persona uti. Fortasse autem olim pro dure ipsum amici nomen, quem carmine ineunte alloquitur, legebatur; collato I, 6 de Tulle cogitare potes.

Censeo igitur unum esse carmen nostrum, neque ex fragmentis

[1]) Vir doctus Ites (l.l. p. 48) cum Leone versus 19—22 non quadrare ad hoc carmen putat, quoniam 1—12 de fugiendo amore universo dicatur, illic de praeda et caedibus; sed cur non fingere potest noster amicum illum Amore se liberandi causa in bellum proficisci?

consutum esse, versuum autem ordinem in hunc modum esse restituendum: 19—22; 1—12; 23—30; 33—36; 31. 32; 13—18; 37—40 aut:[1] 19—22; 1—12; 23—24; 13—18; 25—30; 33—36; 31. 32; 37—40. Restant paucae quaestiones criticae.

20. Pro litora nota cum Postgatio scribendum esse litora muta verisimillimum videtur, cf. Sen. Herc. Fur. 536:

533 intravit Scythiae multivagas domos
et gentes patriis sedibus hospitas,
535 calcavitque freti terga rigentia
et mutis tacitum litoribus mare.
illic dura carent aequora fluctibus,
et qua plena rates carbasa tenderent,
intonsis teritur semita Sarmatis.

Cum viro docto Carutti versibus 19—22 sermonem esse suspicor de bello inter Phraatem Tiridatemque qui de regno contendentes patriam fraternis caedibus foedabant.

21. Hoc versu lectionem O spargereque lectioni N spargere et preferendum esse mihi persuasit Housmanus (JPh. XXI, p. 151.)

23. Hoc versu Baehrensius et Postgatius pro una iniuria ediderunt unum.

37. hic ubi me statuent in parte choreae
Cum Italis pro me legendum te.

40. nam sine te nostrum non valet ingenium
non debuerat Baehrensius sine eo conicere; ad te mente supplendum: o Bacche, cf. nos ad II, 13, 16.

---

[1] Sic tamen nimis obscurum est, quidnam ad verba mi nemo obiciat supplendum sit, quopropter Caruttii transpositiones minus probo.

ELEGIA XXXI.

Antequam de singulis versibus huius carminis dicam, moneo Phillimorium nostram elegiam cum sequenti coniungere, quod in versu XXXII, 7 nexum constare censeat.
Acute tamen Lachmannus observat poetam quaeris, cur veniam tibi tardior dicendo, non venerim indicare se hoc carmen vel ex tempore fudisse vel ita saltem videri velle. Longum igitur carmen non exspectandum est, ex quo sequitur, ut recte Beroaldus nostrum a sequenti separarit.

3. tanta erat in speciem Poenis digesta columnis. Tanta iam Italis suspicionem movit, qui tota scripserunt. Baehrensius quanta coniciens nostrum distichon non inepte cum prioribus versibus 1. 2 coniunxit:

Quaeris, cur veniam tibi tardior? aurea Phoebi
    Porticus a magno Caesare aperta fuit,
Quanta erat in speciem, Poenis digesta columnis,
    Inter quas Danai femina turba senis.

Sed recte se habet vulgata: tanta enim tam digna admiratione significat, cf. Rothsteinium ad hunc versum.

5. 6. Unusquisque nostram elegiam perlegens mirabitur duo signa Apollinis commemorari nulla re addita, ex qua intelligere possimus duo illa simulacra inter se differre. Accedit quod versus 5 interpretantibus difficultatem offert: hic enim aut pronomen, aut adverbium esse debet. Si pro pronomine habemus, non dixit poeta, ubi signum positum esset; sin hic adverbium est, sententia (vs. 5) subiecto caret; neque recte hanc difficultatem superare conamur, si cum Hoeufftio et Palmero:

hic (Phoebus) [1]) Phoebo visus mihi pulchrior ipso

[1]) equidem non ego quidem esse, sed ex e (cf. e-nim) et quidem constare notissimum est, cf. Persium 1. 110: per me equidem sint omnia protinus alba.

legimus. Cum prius incommodum gravissimum sit, praestat alterum non coniectura tollere, sed ex hoc potius iudicare alio remedio locum esse sanandum.

Quas ob causas Dousa vs. 5—8 post 16 transponere voluit, quem Hertzbergius Baehrensius Postgatius secuti sunt. Sed iure putat Otto (Versumst. I p. 16) versus 7. 8 non aptos esse ad carmen claudendum, quod etiam Baehrensio visum esse, qui cum Perreio finem deesse contendit. Deinde monet versus 7. 8 optime servari posse quo loco manuscripta eos exhibeant. Haec ipsius verba sunt: „Von den den Hof umgebenden Säulenreihen mit den Gestalten der Danaiden fällt der Blick zunächst auf den mitten vor dem Tempelgebäude stehenden grossen Altar mit den Kühen des Myron. Dann erst folgt die Beschreibung des Tempels selbst, welche passend mit der Beschreibung des in der cella aufgestellten Götterbildes und einer kurzen Verherrlichung des Gottes selbst schliesst".

Rothsteinius (Anh. p. 352 sq.) contra primum argumentum nihil profert, quod me meam opinionem mutare cogit; neque enim sic iudico, quod negem plura signa in hoc tantae molis templo collocari potuisse, sed quia poeta hoc disertis verbis additurum fuisse mihi persuasum est.

8. artificis O; corrige a r t i f i c e s, nisi a r t i f i c i s pro nomin. plur. habere vis.

11. et quo Solis erat supra fastigia currus.

et quo O; Hertzbergius, quem sequitur Postgatius:

et duo Solis erant supra fastigia currus;

comparat autem propylaeum fori Corinthiaci, supra quod duo Solis currus aureos conspectos esse narrat Pausanias (II, 3, 2) *ἐκ δὲ τῆς ἀγορᾶς ἐξιόντων τὴν ἐπὶ Λεχαίου προπύλαιά ἐστι καὶ ἐπ᾽ αὐτῶν ἅρματα ἐπίχρυσα, τὸ μὲν Φαέθοντα, Ἡλίου παῖδα, τὸ δέ Ἥλιον αὐτὸν φέρον*; „quid si ad illud exemplar - inquit -

hi currus Romani efficti fuerunt". Ingeniosa, sed mera coniectura. Tutius est cum codicibus Beroaldi *in quo* legere, quod melius est quam Baehrensii illud *aequos*, quod ni ipse explicasset, obscurissimum esset.

7. atque aram circum steterant armenta Myronis
steterant DVN; steterunt F.
Housmanus (JPh. XXI, 189) concedens hic et perfectum et plusquamperfectum recte se habere lectionem F praefert, quoniam librarii *-erunt* fere ubique mutavere in *-erant*. Mihi tamen magis placet *steterant*, quia in descriptionibus potius imperfectum (steterant = stabant) exspectamus, cf. versu 9: surgebat.

ELEGIA XXXII.

Initium huius elegiae sic cum Hetzelio (Beiträge, 1890, p. 30) edendum esse censeo:

7. Hoc utinam spatiere loco quodcumque vacabis,
8. Cynthia! nam tibi me credere turba vetat,
9. cum videt accensis devotam currere taedis
10. in nemus et Triviae lumina ferre deae.
1. qui videt, is peccat: qui te non viderit ergo,
2. non cupiet: facti lumina crimen habent.
3. nam quid Praenesti dubias, o Cynthia, sortes,
4. quid petis Aeaei moenia Telegoni?
5. curnam te Herculeum deportant esseda Tibur?
6. Appia cur totiens te via Lanuvium?
11. scilicet umbrosis sordet Pompeia columnis.

Iure enim Hertzelius rogat: „was bedeutet in v. 7 *hoc loco*, da vier Orte vorher genannt sind?"; neque Ottoni contigit (Versumst. I, p. 16) ut hanc difficultatem tolleret sic scribendo: „warum sollte Properz nicht mit *hoc loco* ebensogut wie mit

einem blossen hic seinen gegenwärtigen Aufenthaltsort bezeichnen dürfen"? Nimis enim infinite sic loqueretur! Praeterea meum facio hoc argumentum quod Hertzelius affert ad demonstrandum versuum ordinem in codicibus turbatum esse: „(es) bleibt unverständlich, warum auf die Aufzählung der Orte, wo sich Cynthia der Menge zu zeigen liebt, nicht sofort die Ausführung über ihre anstössige Beteiligung an dem Fackellauf im Heiligtum der Diana zu Aricia folgt, sondern der Satz dazwischen tritt: hoc utinam spatiere loco! welcher da empfiehlt, wo man eine Abmahnung erwartet".

Ut iam de praecedenti elegia disputans observavi, non credo hoc carmen et illud unum esse; nostram elegiam scripsit poeta, postquam eam, quae praecedit, ex tempore composuit; sed tamen ambo carmina cohaerent, nam versus septimus quem ego transpositione Hetzelii assumpta primum totius elegiae feci respicit descriptionem porticus Apollinis.

Baehrensius versus 7. 8 post 16 transposuerat, Housmanus ante (JPh. XVI, p. 8) versum primum, sed melius initium habet elegia, si a versibus 7. 8 incipit, quod contra Baehrensium observo, et praeterea verba: „sed tibi me credere turba vetat", sensu carent, si a versibus 9.10 separantur, quod mihi in utriusque transpositione displicet.

5. Curva te Herculeum deportantes sed abitur
    Appia cur totiens te via dicit anum

Tam corrupta forma hoc distichon legitur in Neapolitano; finis versus 5 in ceteris sanus est: deportant esseda Tibur; pro curva te ceteri cur vatem legunt.

De Palmeri opinione qui versus sic edidit:

cur vatem Herculeum deportant esseda Tibur?
    Appia cur totiens devia ducit anum?

nihil opus est me loqui, cum iam ab Housmano (JPh. XXI, p.

120) refutata sit. Varia coniecere viri docti; Vahlenus:

cur tua te Herculeum deportant esseda Tibur?

L. Muellerus et Rothsteinius:

cur aut te Herculeum deportant esseda Tibur?

Baehrensius:

cur tua te Herculeum deportant esseda Tibur?

Phillimorius:

cur autem Herculeum deportant esseda Tibur?

Hartmanus:

curve tua Herculeum te portant esseda Tibur?

Ex his coniecturis Vahleni et Baehrensii nimiam ἔμφασιν dant pronomini t u a, ut recte observat Housmanus (l.l.); in Phillimorii correctione contra pronomen t e aut t u a aegre desideratur; Hartmani emendatio et Muelleri optimae sunt, sed equidem eligam Housmani inventum, quod aeque bonum sensum restituit, sed propius abest a ductibus litterarum:

curnam te Herculeum deportant esseda Tibur?

In hexametro quoque explicando multum sudaverunt viri docti. Pentameter ab Rothsteinio, qui sic legit:

Appia cur totiens te via ducit anus,

explicatur comparatis: charta anus (Catull. 68, 46), fama anus (78. 10). Concedo A p p i a a n u s Latine dici posse, sed qui A p p i a v i a a n u s scribit nihil dicit. Ellisius (JPh. XV, p. 15) cum Fonteinio a n u m legens putat Cynthiam anili habitu duci se curavisse per viam Appiam ad arcanas tabernas, confertque narratiunculam apud Nonium (Comm. Gregor. Nazianzen. I. 64). Sed contra omnes tales explicationes pugnat firmissimum argumentum, quod primus protulit Hartmanus: (Een en ander over Propertius p. 7) A p p i a v i a d u c i t tantum defendi posse, si addatur l o c u s, q u o v i a d u c a t.

IV, 8 Cynthia se amatore quodam comitante Lanuvium confert; num igitur dubitamus, quin recte emendarit Jortinus:

Appia cur totiens te via Lanuvium?

Quomodo vitium ortum sit, recte nos docet Housmanus: in via lanuvium la omisso vianuvium παραδιορθώσει in via anum corruptum est.

13. et platanis creber pariter surgentibus ordo

Sic N, nisi quod pro surgentibus: urgentibus habet, Baehrensius a D V proficiscitur, qui male verba hoc ordine legunt:

et creber pariter platanis urgentibus ordo,

quod deinde sic emendat:

et crebris pariter platanis surgentibus ordo

Sic melius explicari, cur s verbi surgere omissum sit observat Housmanus (JPh. XXII, 94)

Tutius tamen duco N sequi.

15. et leviter nymphis tota crepitantibus urbe,
cum subito Triton ore recondit aquam

De summa re probo explicationem, quam dederunt Hertzbergius et Rothsteinius; pro nymphis lymphis ex coniectura Italorum recte recepit Lachmannus, cuius annotatio comparanda est. Tota.... urbe sanum esse non credo; certum enim locum describit Propertius; lymphas tota urbe crepitare huc non quadrat: scribe igitur cum Heinsio: toto [1]) orbe; Triton medius erat, ut opinor.

Recondit si ab ipso Propertio scriptum est, cum Rothsteinio explicandum erit: „Gerade das plötzliche Aufhören muss dem in der Halle versammelten Publikum grosses Vergnügen bereitet haben": sic scribit Rothsteinius, melius tamen intelligeremus, si legeremus homines tempus exspectare, quo Triton ore suo aquam refunderet. Non igitur temere spernendum Heinsii inventum: refundit pro recondit.

---

[1]) lato orbe cum Housmano scribere non necesse est.

23. nuper enim de te nostra me laedit ad auris
rumor eqs.

Omnes consentiunt me laedit ad auris defendi non posse: permulta atque varia coniecere viri docti;

Baehrensius: nostram devenit ad aurem; Ellisius cum Italis (JPh. XV, p. 17) pervenit;

Palmer (CR. II, p. 38): nuper enim de te nostram mala fudit ad aurem;

Heinsius: pervadit; Huschkius: praecedit;

Korsch (tidskr. for filol. Ny raekke V, 257—279): malus accidit aures;

Rossberg (Luc. p. 21): nostras malus ivit ad aures;

Kraffert (Beiträge z. krit. lat. Aut. p. 143) allisit ad aures;

Otto (BphW. 1884, No. 13): impleverat.

Verisimillima autem mihi videtur Schneidewinii coniectura:

nuper enim de te nostras male dixit ad auris
rumor.

29. Sin autem longo nox una aut altera luxu
consumpta est eqs.

Baehrensius cum DV: luxu; NF: lusu.

Sed recte observat Housmanus (JPh. XXI, p. 190): „Propertius is here extenuating the delinquencies of Cynthia, and lusu is therefore to be preferred as the less offensive term".

32. Tyndaris externo patriam mutavit amore,
et sine decreto viva reducta domum est.

Hertzbergius decretum hic, quamquam ipse dubitat, accipiendum esse pro acerbiore decreto h.e aut nota et ignominia, aut pro poena capitali putat. Hanc explicationem reiciens Korschius (Archiv f. lat. Lexik. II, 1885, p. 120) decretus (Priscian. 9, 45) pro partic. p. verbi decrescendi habet vertitque: sine capitis deminutione. Neque haec exquisita explicatio

placet; unusquisque enim hoc loco de voce *decretum* cogitabit. Santenii coniectura *et sine dedecore est viva reducta domum* quae optimum sensum praebet a multis nimis audax habetur, sed hoc incommodum mihi levissimum videtur: nam si primam vocabuli syllabam *de* ἁπλογραφίᾳ omissam esse putamus, id quod superest *decorest* in *decreto* corruptum esse non ita audax est coniectura.

33. ipsa Venus fertur corrupta libidine Martis,
    nec minus in caelo semper honesta fuit.
35. quamvis Ida Parim pastorem dicat amasse
    atque inter pecudes accubuisse deam,
37. hoc et Hamadryadum spectavit turba sororum
    Selenique senes et pater ipse chori;
39. cum quibus Idaeo legisti poma sub antro,
    supposita excipiens Naica dona manu.

Versu 33 non cum Neapolitano *fertur*, sed cum O *quamvis* esse legendum iam Hauptius (Opusc. II. p. 60) demonstravit, qui propter orationis schema, cui nomen est ἀπὸ κοινοῦ, parum intellectum interpolatum esse illud *fertur* iure contendit; cf. etiam Muell. praef. p. VII et Vahlen, Mon. Pr. A. 1881, p. 357, Housman, JPh. XXI, p. 152; Postgate, On certain Manuscripts of Pr. p. 68. Phillimorius tamen *fertur* servat, cum sequentes versus non iam de Venere agere credat, sed de Oenona Parim ante Helenae adventum amante. Phillimorio igitur si credimus, inde a versu 35 nova incipit sententia.

Contra quam opinionem duae res pugnant: primum sic Oenone *nympha* non recte *dea* nominari videtur, sed praeterea id quod gravius, versus 35 sequentesque a priore disticho separati sententiam praebent ineptam, ut ex ipsius Phillimorii versione videre potes: „Ida may tell how a goddess loved Paris who was but a shepherd, and lay down beside him among his beasts, but her sister Hamadryads were there to see, and so

were the old Sileni and the father of that crew himself". Unusquisque videt absurda haec esse: „quamvis Ida dicat deam pastorem amasse, hoc spectavere Hamadryades". Neque igitur haec interpretandi ratio quicquam prodest. Constat igitur versus 35 sequentesque cum versibus 33. 34 coniungendos, verbum fertur interpolatum esse; sed nondum totum locum expedivimus, nusquam enim quicquam legimus de Venere Paridis amore capta et iure suo Hauptius (Opusc. II p. 52 sq.) negavit hoc loco de amore Veneris Paridisque sermonem esse posse. Quemnam pro Paride nominatum hic exspectare debeamus, ex versibus 37. 38 apparere recte observat vir doctus Kühlewein (Festgruss Heerwagen, p. 10), qui confert: Hymni in Aphroditem versus 257sqq. a Rothsteinio quoque citatos. Videamus nunc, quibus coniecturis viri docti locum emendari conati sint.

Schaderus pro Parim scripsit Phrygem, quod recipit Rothsteinius, sed hoc adiectivum, cum iam Ida nominetur, supervacuum est; praeterea nimis longe distat a litteris traditis quod etiam de Valckenarii coniectura boum pastorem valet; Ungeri inventum quamvis te Ida, parens, non placere dicit Hauptius, quod ἀποστροφή hic non apta sit. Quod ipse proposuit palam pro Parim languidissimum supervacuumque est, quoniam notionem vocis palam iam exprimunt, ut ait Baehrensius, versus 37. 38. De Vahleni invento prius (= einst) pro Parim (mon Pr. 1881, p. 357) dicere supersedeo, quoniam ipse sprevit in editione quinta, vocabulo Parim cruce apposita. Kuhleweinius (l.l.) nimis andacter legere vult:

quamquam Idaea parens pastorem dicit amasse.

Ceteris magis placet Baehrensii coniectura:

quamvis Ida suum pastorem dicat amasse,

quam tamen in textum recipere nolim, ob eandum causam quam Vahlenus contra Hauptii correctionem affert; is enim, postquam Baehrensii verba supra citata sua fecit, haec addit: „ich füge hinzu, das palam das Gewicht, welches pastorem haben foll, eher beein-

trächtigt als hebt: denn dass die Göttin einen Hirten geliebt und unter Heerden ihm heigewohnt, das ist es, was der Ida erzählt. Aus diesem Grunde werden sowohl andere ältere Vorschläge als auch der neueste von Baehrens suum pastorem hinfällig: denn auch dies ist eine Schwächung des Gedankes." Omnia haec incommoda evitare conatus propono: „quamvis Ida etiam pastorem dicat amasse". Parim a semidocto librario, qui de Paridis in Ida iudicio legerat, suprascriptum esse, quod vocabulum etiam expulerit, vix est quod moneam (cf. Baehr. prolegomena editionis, XXVIII). Ceterum probo Rothsteinii huius loci [1]) interpretationem. De vocativo o Venus versu 39 omisso conferenda sunt, quae ad II, 13, 16 adnotavi.

47. Hunc versum cum Heinsio sic legit Postgatius:
qui quaerit Tatios veteres durasque Sabinas, cf. Hor. Ep. 2. 39;
sed de solis puellis hic agitur; lege igitur cum Schradero:
qui quaerit Latias veteres durasque Sabinas.

50. Pro deligere cum Burmanno deripere legendum cf. Hor. Ep. 5. 46.

52. hic mos Saturno regna tenente fuit,
et cum Deucalionis aquae fluxere per orbem,
et post antiquas Deucalionis aquas.
dic mihi quis potuit lectum servare pudicum,
quae dea cum solo vivere sola deo?

Sic locum edidit Phillimorius, sed dic mihi eqs. aliquo modo

---

[1]) Postgatii coniecturam: „quamvis Ida, Rhea, pastorem dicat amasse", de qua nondum locutus sum, sperno propterea quod quisque textum a viro clarissimo constitutum legens Rhea pro vocativo, nemo autem pro subiecto sententiae nec minus in caelo semper honesta fuit habebit. Quae exempla ipse Postgatius (AJPh. XVII, p. 41) adfert ad hyperbaton defendendum, nulla obscuritate laborant, cf. Luc. V, 387:

qua, sibi ne ferri ius ullum, Caesar, abesset,
Ausonias voluit gladiis miscere secures.

cum prioribus coniungenda sunt; et unusquisque haec legens quaeret a quo inde tempore mores pudici mutati sint. Quod ad incommodum removendum Vulpius versu 53 et in at mutavit, quem Baehrensius et Postgatius secuti sunt.
Sed acute observat Lachmannus Propertium rectissime peccasse puellas negare:

cum Deucalionis aquae fluxere per orbem,

cum superessent duo in toto terrarum orbe mortales.
Scribe igitur cum Vahleno: (Mon. Pr. A, 1881 p. 356.)

hic mos Saturno regna tenente fuit
et cum Deucalionis aquae fluxere per orbem.
At post antiquas Deucalionis aquas,
dic mihi, quis potuit lectum servare pudicum?

Praeterea versu 54 pro antiquas cum Marklando antiqui corrigendum.

61. quod si tu Graias tuque es imitata Latinas
Cum es produci nequeat, quaeritur qui versus sit emendandus.
Ex coniecturis propositis cito Baehrensii:

quod si tu Graias es tuque imitata Latinas;

Lachmanni,

quod si tu Graias aeques imitata Latina;

Mihi maxime arridet Ellisii (JPh. IX p. 235)

quod si tu Graias sive es tu imitata Latinas.

ELEGIA XXXIII.

6. quaecumque illa fuit, semper amara fuit.
Fortasse recte scripsit Housmanus (JPh. XVI. p. 8) quodcumque cf. I, 19, 11: quidquid ero.

12. mansisti stabulis abdita pasta tuis

sic versum legimus in O; post mansisti Heinsius recte et inseruit; praeterea duo illa participia frigent.
Collato Ov. Met I, 632: (Io):

frondibus arbuteis et amara pascitur herba

et Am. III, 5, 18 de vacca:

dum iacet et lente revocatas ruminat herbas,
atque iterum pasto pascitur ante cibo

pulcherrime coniecit Palmer (praef. XXVII):

mandisti (et) stabulis arbuta pasta tuis.

Quae pars elegiae nunc sequitur (inde a versu 21), nobis difficultatem offert solvendam, de qua nondum consentiunt viri docti. Namque nuperrime vir doctus Ites (De Properti elegiis inter se conexis p. 50) demonstrare conatus est nostram elegiam in duas esse divendendam. Is autem scribit haec: „Unam esse Rothsteinius contendit, ita ut in versu 21 poetam non Cynthiam, sed aliam puellam alloqui ponat et vss. qui antecedunt in convivio esse factos. Miramur autem, quod ne verbo quidem illud convivium commemoratur viginti illis vss. Porro alia puella praesente non ita queri potest poeta quod Cynthia ei desit nec concedo Rotheinio talia arte poetae excusari. Tertium postulamus illam puellam accuratius significari; nam quod Rothst. dicit ad v. 21, uno verbo placandi non dicitur. Duo contra loci Cynthiam notare mihi videntur vs. 38: „et mea deducta carmina voce legis" propter carmina et duo ultima disticha, quae decem illas noctes spectant quibus Cynthia sola se recipere cogebatur."
Assentior Itesio versus 21 usque ad finem carminis Cynthiam alloqui, neque tamen dividendam esse elegiam censeo.
Versus enim 21 non facile pro novi carminis initio haberi potest. Neque tamen credo difficillimum hoc carmen recte explicari solere. Ante omnia mihi constare videtur poetam fingere Cynthiam una secum in convivio accubantem (cf. vs. 25, 35); noli tamen putare, id quod volebat Otto (Versumstell. I, p. 17), Cynthiam solutam nunc esse Isidis religione negotiisque, cf. vs. 1. 2; 41. Attamen

poeta eam visitavit, sperans eam Isidis oblitam (cf. Tib. I, 3, 26) lecti sibi facturam copiam, quod longe secus evenit; lenta enim bibebat Cynthia, neque voti compos fiebat poeta. Tunc ira motus in vinum invehitur quod puellarum formam corrumpat atque pessumdet; sed mox animum mutans ponit iracundiam, atque in fine hoc solacio se consolatur quod puella, simulac Isidis sacra non iam colet, ei morem geret, amor enim, inquit poeta, puellae viro suo carentis multo fit ardentior. Sic omnia bene procedere confitendum est.

Si contra Itesio auctore carmen inde a versu 21 in duas dividimus partes, non intelligimus, cur Cynthia quamvis vacua sit illis noctibus poetae desiderio non obsequatur.

23. Pro m e a cum Heinsio, cui Hartmanus quoque adstipulatur, legendum m e.

37. s e r t a e N; s e r t a ceteri;
S e r t a e verum esse docet Charisius (p. 107, 25 Keil): „serta neutro genere dicuntur .... sed Propertius feminine extulit sic: tua praependent demissae in pocula sertae." Hic igitur locus luce clarius monstrat, nos iure Neapolitanum tanti facere; cf. Solbisky (p. 162), Leo (RhM XXXV, p. 447), Housman (JPh. XXI, p. 125.)

ELEGIA XXXIV.

1. Cur quisquam faciem dominae iam credat Amori?
i a m c r e d a t N; n o n c r e d i t D V F L.
Postgatius (Prop. in 1880, Transact. Cambr. Ph. Soc. vol. I p. 372—386) a m o r i retinens totum versum sic scribit:
cur quisquam faciem dominae nunc (O : non) credit amori?

quod vertit: you must not trust a beautiful gill to Love, i.e. to others love. Eodem modo versum edidit in editione anno 1894 publici iuris facta. Sed mihi prorsus non persuasit: ipsa enim vox alieno, quae versui sensum praebere debet, mente supplenda est. Accedit, quod cur quisquam.... credit amico melius praeparat versum 3.

Verum iam Itali invenerunt, qui pro amori amico substituere. Praeterea prorsus non concedo viro clarissimo illud iam, quod habet N, coniecturam esse pro non, quod fuerit in archetypo; facilius enim est nunc conicere, quam iam, quod versu 24 quoque defenditur.

4. et formam (F D V) pro bona lectione N formosam iniuria edidit Baehrensius, cf. Housman JPh. XXI p. 131.

7. hospes in hospitium Menelao venit adulter.
Breviter atque praeclare dicit poeta: „amicus erat, vel esse videbatur adulter qui ad Menelaum venit, ut iure hospitii apud eum deversaretur." Infeliciter Baehrensius hunc per, sine ulla necessitate L. Muellerus Tros et coniecit.
Si verba ordinas, ut ego feci, patet nullo iure Ottonem quaesivisse (De fab. Prop. p. 19): „quis in hospitium venire potest nisi hospes?"

8. Colchis et ignotum nonne secuta virum est?
Nihil est, cur nonne corruptum habeamus. Frustra igitur Baehrensius pro nonne nocte, Rossbergius (Neue Jahrb. Fleckeis. bnd 29. p. 72) nave proposuere.

9. 10 De hoc disticho, ubi N non deserendus est, confer Housm. JPh. XXI p. 131.

15. 16 Librariorum socordia socium et dominum inter se

sedes mutavisse probabilis est coniectura Cornelissenii (Mnem. N. S. vol. VII 1879 p. 103), cui Hartmanus quoque adstipulatur; socius corporis quid sibi velit, non perspicuum est: nihil enim prodest interpretatio Kuinoelii: „corporis socius est is, qui continuus comes lateri adhaeret".

17. Hoc versu cum Postgatio (CR. XV, p. 411) solum in socium mutandum esse censeo. Totus igitur locus sic restituatur:

15 te dominum vitae, te corporis esse licebit,
16 te socium admitto rebus, amice, meis:
17 lecto te socium, lecto te deprecor uno.

Quod his coniecturis receptis socium bis repetitur, mihi plane ex more Propertii esse videtur, quod contra Postgatium observo, qui cum hanc repetitionem evitare vellet, versus 15. 16 sic edidit:

te socium vitae, te pectoris esse licebit
te dominum admitto rebus, amice, meis,

versu 13 praeterea pectus in corpus mutato.

23. Cur hoc versu me fallet (O) lectioni N fallet me[1]) anteferram, discere licet ex acuta Housmani disputatione (JPh. XXI. p. 151).

25. Vehementer errant, qui inde ab hoc versu cum Casp. Barthio novam incipiunt elegiam, in quorum numero Baehrensius quoque est. Postquam enim poeta iocose amicum perstrinxit, quod suam puellam amare coepisset, dicit unum se didicisse: Amori ne severos quidem homines resistere posse; coram formosa puella omnes praecepta moralia oblivisci.

„Si quis mihi dixisset, inquit poeta: caveas amicum tuum Lyncea, noli ei tuam puellam committere, risissem neque tam turpi calum-

---

[1]) Neapolitanum saepius verborum ordinem corrupisse ostendunt II, 15, 53; I, 10, 3.

niatori credidissem; ecce autem severus ille sui oblitus meae puellae blandiri est ausus. Iratusne es, inquies; immo vero ignosco tibi; unum gaudeo te iam desiturum esse Amorem despicere; quid nunc tibi severa illa studia prosunt? Quam felix esses, si carmina amatoria legisses".

Nihil hic deesse vides, neque recte Postgatius in sua editione anno 1894 in lucem missa post vs. 26 lacunam statuit, neque recte inde a versu 27 novam incipit elegiam.

29. aut quid .... tibi prosunt carmina lecta?

Eo loco, ubi lacunam reliqui, Neapolitanus erechti, DVFL erethei habent. Editores recentiores, in quorum numero Rothsteinius et Phillimorius sunt cum Memmiano Erechthei legunt Homerum a poeta significari putantes. Huic lectioni satis multa obstant; verissime enim observat vir clarissimus Hartman (De Horatio poeta, p. 143): non facile credo quemquam amicorum suorum sic esse allocutum Propertium: „Quid tibi nunc prodest quod Homerum legisti"? Quotus enim quisque hominum paulo cultiorum Homerum non legerat, neque eiusmodi Ilias et Odyssea sunt ut vel is qui memoria eas teneat sibi supra vulgus sapere videatur, seque illis rebus quibus ceteri omnes commoveantur tangi non posse arbitretur."

Praeterea non est cur legentes: senex Erechtheus Homerum potissimum significari intelligant. Quin etiam collato versu 41 de Aeschylo cogites.

Ad coniecturam: Erythraei, quam excogitavit Ellisius (JPh. XXII, p. 24) intelligendam tam recondita doctrina opus est, ut vix ac ne vix quidem intelligere possimus Romanos litteratos hoc nomen legentes statim scisse, de quo poeta ageretur. Quid autem ipse Propertius scripserit, aut nos nescire fatendum est, aut iam Scaliger verum invenerat, qui Lucreti proposuit. Fortissime hanc ingeniosam coniecturam defendit vir cl. Hartman (l.l.)

Si quis autem putat Romani poetae nomen inter tot Graecos prorsus non exspectari, commendo lectionem, quam excogitavit vir doctus Nairn (CR. XIII, p. 393):

aut quid Aratei tibi prosunt carmina plectri.

Sic melius intelligeremus versus 51sq.: harum nulla solet rationem quaerere mundi.

31. tu satius memorem Musis imitere Philetan

memorem Musis N; Musis memorem DVFL.

Nihil ad hunc versum melius intelligendum prodest meminisse poetas saepe a diis accipere, quae legentibus tradant, neque contigit Rothsteinio ut verbis haud dubie corruptis bonam sententiam praeberet.

Coniecturarum, quas multas proposuerunt viri docti, mihi maxime placet Hoeufftii, quam Hartmanus quoque commendat,

tu Latiis tenerum Musis imitere Philetam.

Minus placet Santenii correctio, quam veram ducit Housmanus (JPh. XXI, p. 155), Postgatius recipit:

tu satius Musis leviorem imitere Philetam.

Verear enim, ne pauci Musis hic carminibus accipiant; cum comparativus sequatur, musis leviorem valde ambiguum est.

39. Hic versus ab O (nisi quod F prosunt habet) ita legitur: non Amphiareae prosint tibi fata quadrigae;

lenissima coniectura versum restituit Postgatius (in editione 1894): Amphiarea tibi non prosint fata quadrigae,

paulo minus verisimilis est suspicio Rothsteinii:

Amphiarea nihil prosint tibi fata quadrigae,

nam in Postgatii coniectura verba tradita servata sunt; nihil autem mera coniectura est.

42. Desine, et ad molles membra resolve choros

non opus est cum Baehrensio ex Heinsii coniectura scribere: solvere membra pro membra resolve.

43. Includere sanum est, cf. Housm. (JPh. XXI, p. 128); Solbisky (De Codic. Prop. p. 170); Hetzel (Beiträge. 1890, p. 36sq.)

46. Magnos deos propter coniunctionem et proprio sensu accipiendum esse recte contendit Bases; ante eum iam F.G. Barthius, qui breviter annotavit: „magnos deos: nedum poetas heroicos".

51. harum nulla solet rationem quaerere mundi.
In textu tradito non liquet, quo referendum sit vocabulum: harum; neque hoc incommodum tollitur Rothsteinii annotatione: „wer in harum gemeint ist, ergiebt der Zusammenhang: besonders durch amores ist die hier notwendige Vorstellung gegeben." Accedit, ut sententia, quae versibus 51—54 exprimitur, prorsus non cum versu 50 cohaereat. Quam ob rem assentior L. Muellero Ottoni (Versumst. I, p. 17) Postgatio [1]) versus 47—50 post 54 traiciendos esse: 51—54 enim continuant vs. 45. 46; nihil ante 51 deesse proper Baehrensium moneo.
Versu 47 cum N sed legendum esse vix est quod moneam.

49. 50. Hoc distichon duplici laborat vitio: in hexametro amores se non recte habet; patet enim ex voce duros et ex sequenti verbo domandus poetam adhuc de tauris cogitare: utique igitur recipienda est Marklandi coniectura: patiere labores; in pentametro vox tamen iustum sensum non praebet; neque enim idem est atque coniunctio sed; scribe igitur cum Baehrensio animi; vitium ortum esse videtur cum in praecedenti versu supra animi tam legeretur.
Totum igitur distichon cum Hartmano sic scribo:

---

[1]) Postgatius L. Muellerum secutus est in editione 1894.

nec tu tam duros per te patiere labores:
trux animi a nobis ante domandus eris.

53. nec si post Stygias aliquid restabit....

Sic versus in N legitur; restabit erumpnas LF; restaverit undas DV. Housmanus (JPh. XXII p. 89) hic commendat mirum in modum pessimam coniecturam Munronis:

nec si post Stygias aliquid rest arbiter undas,

quod vertit: „whether there is really any such thing as the judge on the yonder side of Styx".

Prorsus non conferri potest notissimus usus verbi esse cum aliquid coniuncti: si numina divum sunt aliquid (Ov. Met. VI, 542).

Neque recte Housmanus improbavit Wassenbergii inventum:

nec si post Stygias aliquid restabimus undas;

iure enim observat Hauptius (Index lect. a. d. XVI m. Oct. a. 1854 p. 8): „ultimas versus syllabas in codice archetypo aut legi non potuisse aut prorsus absumptas fuisse liber Neapolitanus docet, qui haec tantum habet: nec si post Stygias aliquid restabit; hinc factum est ut alius aliter quod deerat restituere temptarent". Housmano autem sic scribenti: „instead of the harsh aliquid restabimus one would look for something more like the si tamen e nobis aliquid nisi nomen et umbra restat of Ovid. amor. III, 9, 59 or the si tamen extinctis aliquid nisi nomina restat of trist. IV, 10, 85" respondeo me prorsus non videre, cur sunt aliquid manes (Prop. IV, 7, 1) recte se habeat, restabimus aliquid contra suspectum sit.

59. Me iuvet hesternis positum languere corollis,
quem tetigit iactu certus ad ossa deus;
61. Actia Vergilio custodem litora Phoebi,
Caesaris et fortis dicere posse ratis

Neque hoc loco, neque II, 13, 11 (ubi vide nostram observationem) „coniunctivus iuvet explicari potest. Hic tamen etiam certius demonstrare possumus coniunctivum corruptelae deberi: versu 61 dativus Vergilio ferri nequit; nihil facilius quam verbi iuvet causa Vergilium conicere; sed magis via et ratione agimus, si cum Housmano versu 59 mi lubet corrigimus. Is acute observat: „when mi lubet was corrupted to me iuvet the scribe changed the adjacent posito into the accusative but forgot to alter the distant Vergilio, which survives to indicate the truth" (JPh. XXII, p. 119).

72. Hunc versum paulo obscuriorem cum Phillimorio sic explicare velim: „(Happy man who can purchase your loves at the cheap rate of some fruits,) — though Tityrus himself find her thankless to his song"! (Prop. transl. by Phillimore, p. 91) „Quam felices erant pastores illi — quamquam etiam tunc puellas ingratas fuisse Tityri historia docet", haec amare addit poeta suae ipsius vitae memor.

83. nec minor his animis, aut si m(inor ore canorus)
anseris indocto carmine cessit olor.

Quae uncinis inclusi, in Neapolitano desunt, quamquam nemo tam stultus erit, ut ea verba spuria ducat. Sed antequam invenire conemur, quomodo nostrum distichon legendum sit, totus locus de Vergilio agens enarrandus est: postquam poeta superioribus versibus Aeneidem laudavit, ad Bucolica pergit de quibus ut de carminibus amatoriis loquitur; postremo Georgica memorat. Si autem rogabis quae carmina versu 81 (haec) significentur, diverse tibi respondebunt editores, aut enim de Vergilii aut de ipsius Propertii carminibus cogitant. Nostrum tamen distichon, quin de Vergilii carminibus loquatur, vix dubium esse potest; nam Rothsteinii interpretationem non intelligo.

Si autem versus 83. 84 de Vergilio dictos putas, versus 81. 82

quoque de Vergilii poematis dicantur necesse est, nam quis feret versus 81. 82 Propertium, sequens distichon [1]) rursus Vergilium spectare? Qua re constituta *haec* de Bucolicis adhiberi statuendum est, quae reliquis carminibus Maronis opponuntur; et omnino locus melius decurrere videtur, si poeta Vergilii Varronis Catulli Calvi Galli carminibus nominatis ultimo demum disticho de suis ipsius libellis mentionem facit. Conicio igitur locum perturbatum esse quem ego [2]) sic in integrum restituere velim:

61. Actia Vergilio custodis litora Phoebi,
Caesaris et fortis dicere posse ratis,
qui nunc Aeneae Troiani suscitat arma
iactaque Lavinis moenia litoribus.
65. Cedite Romani scriptores, cedite Grai!
nescio quid maius nascitur Iliade,
79. tale facis carmen docta testudine quale
80. Cynthius impositis temperat articulis.
77. tu canis Ascraei veteris praecepta poetae,
78. quo seges in campo, quo viret uva iugo.
67. tu canis umbrosi subter pineta Galaesi
Thyrsin et attritis Daphnin harundinibus,
utque decem possint corrumpere mala puellas
missus et impressis haedus ab uberibus.
felix qui vilis pomis mercaris amores!
huic licet ingratae Tityrus ipse canat.
felix intactum Corydon qui temptat Alexin
agricolae domini carpere delicias!
75. quamvis ille sua lassus requiescat avena,
laudatur facilis inter Hamadryadas.
81. non tamen haec ulli venient ingrata legenti,
sive in amore rudis sive peritus erit.

[1]) Nolo enim cum Lachmanno, quem secutus est Hetzel, (Beiträge 1890 p. 35) versus 83. 84 post versum 66 transponere.

[2]) Postea vidi iam Ribbeckium et Heydenreichium versus 77-80 post 66 transposuisse.

83. nec minor hic[1]) animis, nec, si minor ore, canorus
anseris indocto carmine peccat olor.

Versus 81. 82 nunc, id quod Hartmanus quoque voluit, de ipso Vergilio dicti sunt, sequensque distichon sine molestia explicari potest. Housmanus versum ita legere vult (JPh. XXI, p. 160):

nec minor hic animis, ut sit minor ore, canorus
anseris indocto carmine cessit olor;

Additque hanc explicationem: „and the melodious swan, displaying equal genius though less stately diction in these light verses, has not retired with the tuneless stain of a goose."

Ego tamen Hartmani pulchram huius versus emendationem peccat recepi; peccandi verbum adhibetur, si dicimus aliquid corrumpere ea, quae circum se habeat, cf. Mart. II, 66:

Unus de toto peccaverat orbe comarum
anulus incerta non bene fixus acu.

91. et modo formosa quam multa Lycoride Gallus
mortuus inferna vulnera lavit aqua!

Cum Wakkero lego: et modo formosa qui multa Lycoride passus. Nam in textu tradito ablativus unde pendeat, non intelligo; mortuus Lycoride — sic Lachmannus — sine dubio falsum est, ut docet historia. Praeterea recte observat Paleyus: „There is some probability in Wakker's conjecture, qui multa Lycoride passus, since the poet may well have suppressed the name in consideration of his melancholy end".

Nomen Galli ad explicandum adscriptum passus expulisse videtur.

---

[1]) hic = in his scriptis, cf. haec in v. 81.

LIBER TERTIUS.

ELEGIA I.

1. Novus liber primo statim versu novam difficultatem praebet, nam iamdudum quaesiverunt viri docti, quomodo vocabulum sacra hoc loco accipiendum esset. Rothsteinius locum difficillimum ita interpretatur; „Neben den manes, dem als lichter Geist oder Gott gedachten Toten selbst, werden die sacra angerufen, der Cultus, den man den so vorgestellten Toten widmet. Beide Begriffe stehen in engstem Zusammenhange, und es ist die Absicht des Dichters, dass sie beide zu beiden Namen gezogen werden sollen.... Obwobl die manes und die sacra angerufen werden, ist bei sinite doch Callimachus und Philetas als Subject gemeint. Deinde apte confert: IV. 4. 31

Ignes castrorum et Tatiae praetoriae turmae
et famosa oculis arma Sabina meis,
o utinam ad vestros sedeam captiva Penatis,
dum captiva mei conspicer ora Tati!

Equidem credo hanc explicationem unice veram esse; sacra Philetae quid sibi velint, melius etiam intelligitur, si primum distichon sic fere vertimus: Umbrae Callimachi et Philetae, vos qui nunc, cum mortui estis, ut dei colimini, sinite me vestrum intrare lucum.

Baehrensius pro sacra **fata** restituere volebat, eamque coniecturam Housman (Journ. of Phil. XVI, 31) multa doctrina defendere conatus est. Quem iam ad versum 20 primae elegiae primi libri redarguisse me credo.

Sacra hic nihil aliud esse nisi manes Broukhusius putabat; sed loci ab eo allati Verg. Aen. II, 293;

Sacra suosque tibi commendat Troia penatis;
hos cape fatorum comites

IV. 50:

Tu modo posce deos veniam, sacrisque litatis
indulge hospitio

nihil demonstrant, et a nostro loco alieni sunt.
Supersederem hanc explicationem citare, nisi J. Woltjer nostras in quarta editione (ann. MCMIX) praestantissimi libri, cui titulus Serta Romana (p. 112) Broukhusii opinionem quamvis dubitanter [1]) probasset. Eodem redit Postgatii annotatio (Select Elegies p. 146), quae contendit sacra hic significare „sacred reliques, disembodied spirit". Talis usus desidero exempla.
Fuit, cum crederem sacra nostro loco nihil esse nisi simulacrum Philetae, quod in eius nemore positum esset. Conferebam enim Ov. metam X. 696:

Sacra retorserunt oculos

Fast. VI. 449: haurit aquas tollensque manus „Ignoscite" dixit.
„sacra! vir intrabo non adeunda viro".

Nunc tamen eodem modo atque Rothsteinius interpretor.

3. 4 Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
Itala per Graios orgia ferre choros.

Rothsteinius Hertzbergio obsecutus verba ordinat: „ducere Graios choros per Itala orgia", quod Germanice vertit: „bei einer Römischen Feier einen griechischen Reigen führen".
Haec explicatio mihi non placet, nam ferre choros idem esse atque choros ducere credere non possum. Quod Hertzberg et Rothstein citant Stat. silv. II. 7. 21

favete, musae,
dum qui vos geminas tulit per artes

[1]) „Met sacra schijnen hier de Manes bedoeld te zijn".

et vinctae pede vocis, et solutae
Romani colitur chori sacerdos,

in eo loco nihil auxilii est; quid poeta sibi voluerit, cum scriberet: „qui vos tulit per artes", non tam facile dictu est, fortasse tulit apud Statium extulit significat.

Accedit, ut praepositio per, si cum voce orgia coniungenda est, obscurissime adhibeatur. Quibus de causis ad aliam explicationem confugiam, quam Postgatius (Select El. p. 147) protulit; is verba Propertiana Anglice sic vertit: „to lead the mystic emblems of Italy trough the dances of Greece, i.e. to treat Latin subjects after the Greek manner".

Orgia ut nostro loco adhibetur:

Catull. 64. 260:

pars obscura cavis celebrabant orgia cistis

Aen. VI. 517:

illa chorum simulans euantes orgia circum
ducebat Phrygias.

Sen. Oedip. 431: condita lascivi deducunt orgia mystae.

cf. Orgia = sacra apud Vergilium Georg. II, 475:
Musae, quarum sacra fero.

Dignissimi, qui cum nostro loco comparentur, sunt versus Manilii, I. 3sqq., neque dubito, quin is Propertii locum ante oculos habuerit:

caelestis rationis opus deducere mundo
adgredior primusque novis Helicona movere
cantibus et viridi nutantes vertice silvas,
hospita sacra ferens, nulli memorata priorum.

9. quo me Fama levat terra sublimis, et a me
nata coronatis Musa triumphat equis.

Richards (CR. XIII p. 16): a me mota coniecit, sed quid poeta sibi voluerit, optime reddit Postgatius: child of my brain (Select El. p. 148).

12. scriptorumque meas turba secuta rotas.

Radermacher[1]) (Philol. 52, p. 625) pro meas meat proponit. Sed cum Rothsteinio ex mecum vectantur (vs. 11) supplendum est me comitantur.

21. 22. at mihi quod vivo detraxerit invida turba,
post obitum duplici faenore reddet onus.

Pro onus, quod O dant, Rothsteinius opus (cf. Burmann. p. 484) in textu posuit. Iniuria, nam quis non videt opus non recte opponi vocabulis invida turba; ut enim post obitum opponitur voci vivo, sic in pentametro aliquid exspectamus, quod contrarium sit vocabulorum invida turba, praesertim cum id vocabulum in fine versus magnam ἔμφασιν habeat. Quod vero Rothsteinius (Anh. p. 360) contra Honos dicit: „ich habe reddet opus hauptsächlich deshalb in den Text gesetzt, weil es mir bedenklich erscheint, den wohl im römischen Kultus, aber nicht im Vorstellungskreis der griechisch-römischen Dichtung nachweisbaren Gott durch Konjektur einzuführen", refutatur loco Ovidiano, quem et ipse Rothsteinius affert: (Am. I. 15, 39. 40).

Pascitur in vivis Livor: post fata quiescit,
cum suus ex merito quemque tuetur honos,

ubi honos, quamquam non deus significatur, tamen ostendit apud Propertium quoque hanc vocem esse restituendam.

23. Famae post obitum fingit maiora vetustae

sic versus legitur in N, quod Rothsteinius, Brandtius (p. 18), Phillimorius recipiunt voce vetustae in vetustas mutata. Quid vero famae vetustas sibi velit, non addunt, et revera lectionem Neapolitani nihili esse, videre potes ex versione, quam dat defensor eius Phillimorius: „after decease comes the old age of renown to make the semblance of things grow greater". Unde tamen natum sit illud famae, quaeritur: ceteri enim codices verissime legunt:

[1]) Idem multo ante proposuit (anno 1877) Rossbergius (Lucubrat. Prop. p. 34).

Omnia post obitum fingit maiora vetustas.

Solbisky (De Codic. p. 175) vocem Famae unde natum est vetustae ex interpretamento irrepsisse censet.

Fortasse tamen fama ortum est ex vocabulo fatum, quod ut altera lectio supra obitum scriptum erat; habet enim manuscriptum Q Martialis ad V. 10:

omnia post fatum fingit maiora vetustas:
maius ab exequiis nomen in ora venit;

si igitur librarius haec petiit ex fonte nobis ignoto, neque ex memoria fallaci, non inepte fingere possumus correctorem quendam in manuscripto, unde N descriptum est, supra obitum scripsisse fatum, quod postea pro correctione vocis omnia habitum sit et in famae corruptum.

25. nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces,
fluminaque Haemonio comminus isse viro,
Idaeum Simoenta.

Post Simoenta lacuna est in Neapolitano; ceteri habent:

Idaeum Simoenta Iovis cunabula parvi

Lachmannus et Hauptius (index lect. Berlin 1854—5 = Opusc. II p. 52—66) demonstraverunt lectionem Iovis cunabula parvi defendi non posse.

Cum Housmano (Journ. of Philol. XXI p. 126.) aliisque recipio coniecturam G. Wolffii

Idaeum Simoenta Iovis (cum prole Scamando).

Hic unum ex iis locis habemus, ubi O interpolati sunt.

29. Deiphobumque Helenumque et . . . . in armis
qualemcumque Parim vix sua nosset humus.

In lacuna, quam in hexametro reliqui, varia legunt manuscripta: poliledamantes N; pulidamantes FL.

Scaligeri lectionem: Polydamanta sine armis et Italorum commentum: Polydamanta sub armis redarguit Lachmannus.

Ipse bene conicit:

Deiphobumque Helenumque et Polydamanta, et in armis
qualemcumque Parim vix sua nosset humus.

quod hisce verbis explicat: qualemcumque in armis: adiective dicit eum, qui strenuusne an imbellis fuisset, nemini etiam notum foret.

Postgatius, quem secutus est Phillimorius, Polydamantos (vel: Polydamantis) in armis legit (Sel. El. p. 151): Paris who cut a sorry figure, in the arms of Polydamas; sed comparato Hom. Il. III. 333:

δεύτερον αὖ θώρηκα περὶ στήθεσσιν ἔδυνε
Ϝοῖο κασιγνήτοιο Λυκάονος, ἥρμοσε δ' αὐτῷ.

coniectura non veri similis videtur, cum ea recepta putandum sit Propertium rerum ab Homero relatarum oblitum esse.

35. meque inter seros laudabit Roma nepotes

Baehrensii coniectura me quoque per seros etc. supervacua est, cf. Catullus 102.3

si quicquam tacito commissum est fido ab amico,
cuius sit penitus nota fides animi
meque (= me quoque) esse invenies illorum iure sacratum.

Praeterea conferenda sunt, quae scripsit Otto (H. 23 p. 39.)

ELEGIA II.

3. 4. Orphea detinuisse feras et concita dicunt
flumina Threicia sustinuisse lyra.

Detinuisse verum esse non potest propter sustinuisse insequenti versu: recipio igitur Ayrmanni emendationem: delinisse[1]).

---

[1]) Hic locus tamen non adnumerari debet iis, quibus Neapolitanus id quod traditum erat ex coniectura mutavit, nam si Propertius scripsit delinisse, non delenisse, N vestigia veri melius servavit quam FV, qui detenuisse habent, quod moneo propter Housmanum JPh. XXI, p. 150: here then N has made a bad attempt at amending the slight and honest error of O; cf. etiam verissimam observationem Postgatii: On certain Manuscripts of P. p. 68.

3. saxa Cithaeronis Thebas agitata per artem
sponte sua in muri membra coisse ferunt.

Displicet versu tertio vox artem sic nude posita: quapropter cum Hartmano malim:

saxa Cithaeronis Phoebeam agitata per artem

ex coniectura viri docti in Misc. Obss. II, 109.

14. et defessa choris Calliopea meis.

Pro et defessa (N et omittet) Baehrensius proposuit: nec defessa. Nam, si Calliopea defessa esset choris Propertianis, studium deponere eum necesse esset. Postgatius autem in adnotatione critica editionis 1894 confert:

Stat. Silv. I, 5, 2:

Non Helicona gravi pulsat chelys enthea plectro
nec lassata voco totiens mihi numina Musas,

quo versu fretus vulgatam defendit. Sed Statii versu lassata alio adhibetur contextu; „nunc, inquit Papinius, vos vocare nolo, o Musae, quas iam totiens invocavi, ut lassatae sitis canendo". Videamus nunc, quid Propertius dicat: „Licet pauper sim, iure tamen me beatum habeo, nam Musae meae sunt comites, mea carmina placent legentibus, (et nunc attende ad id quod sequitur) et Calliope defessa est meis choris: non dictu opus est tertiam illam causam, cur se beatum praedicet, absurdissimam esse. Si loci Papiniani memores locum interpretamur, sententia fit haec: „praeterea multa feci carmina Calliopea adiutrice", quod magnopere languet. Concederem textum traditum defendi posse, si attributive adhibita esset vox defessa, et haec in textu haberemus: quamvis pauper sim, non tamen divitioribus invideo, nam Musae mihi comites sunt et Calliope defessa meis choris i.e. quam saepissime meis carminibus lassavi. Sed quominus sic interpretemur, obstant verba et carmina cara legenti. Recipio igitur Baehrensii supplementum; correctio enim — Neapolitano et omittente — ea vix nominanda est.

15. Quam ob rem est, pro quo Itali es legunt, retinendum sit, docet Brandtius (Quaest. Prop. p. 26).

23.24. aut illis flamma aut imber subducit honores,
annorum aut ictu pondere victa ruent.

ictu NF; ictus DVL; pondere NDVL; pondera F.

Burmannus et Palmerus sic interpungunt pentametrum:

annorum aut ictu, pondere victa, ruent,

quod tamen minime placet propter duorum ablativum concursum, praeterea pro annorum ictu: annorum ictibus exspectamus, quapropter Fonteinius et Santenius coniecerunt:

annorum aut ipso pondere victa ruent.

Sed coniecturis non opus est; quidni scribimus cum DV:

annorum aut ictus pondere victa ruent.

Librarii non intellexerunt verbum ruendi hic transitive adhibitum esse.

Versu 23 pro subducit futurum esse restituendum, quod omnes codices praeter Neapolitanum exhibent, non monerem, nisi Phillimorius — mirabile dictu — subducit servasset.

ELEGIA III.

5. Iniuria L. Muellerus pro parvaque: pronaque coniecit; aptissime enim poetae elegiaci parva ora magnis carminis heroici fontibus opponuntur, cf. II, 10. 11:

surge anima ex humili iam carmine: sumite vires, Pierides:
magni nunc erit oris opus,

ubi Propertius heroicum carmen cantaturus est.

Pro tam magnis Guyetus et Heinsius recte iam magnis dederunt, quod tamen a Vahleno Rothsteinio Phillimorio spernitur. Sed coniectura iam recepta apta demum nascitur sententia:

„iam parva mea ora magnis fontibus admoram, cum Phoebus me compellavit."

7. Valde miramur Vahlenum et Rothsteinium hoc versu in textu ponere Italorum coniecturam c e c i n i pro c e c i n i t. Utilissima de toto hoc loco exstat disputatio Werffii in libello cui titulus est E n n i a n a (Campis, apud van Hulst en Vos. p. 57). Vahlenus enim in disputatione „Ueber die Annalen des Ennius" (Abhandlungen der königlichen Akademie der Wissenschaften zu Berlin aus dem Jahre 1886.) p. 5 haec scripserat:
„neuerdings is die alte Meinung aufgefrischt worden, dass dies fast ebensoviele Bruchstücke aus Ennius' Annalen wie Verse seien (?). Damit aber nicht bei v. 8 Jemandem ein Bedenken komme, wird an den Seetriumph des Aemilius Regillus erinnert (Liv. XXXVII. 30. 58.) Wer Livius vergleicht, XLV. 35. 3: „Paulus ipse post dies paucos regia nave ingentis magnitudinis, quam sedecim versus remorum agebant, ornata Macedonicis spoliis non insignium tantum armorum, sed etiam regiorum textilium, adverso Tiberi ad urbem est subvectus completis ripis obviam effusa multitudine", wird geneigter sein mit den alten Erklärern an Aemilius Paulus und den Sieg bei Pydna zu denken, nur dass dieser nicht bei Ennius vorkam. Aber obwohl das meiste von dem, was in den Versen 7—12 erwähnt ist, aller Warscheinlichkeit nach auch in Ennius' Annalen nicht gefehlt hat, so bedarf es doch nur aufmerksamer Betrachtung des Gedichtes vom Anfang an, um zu erkennen, dass Propertius keinen Auszug aus Ennius' Epos hat geben wollen".
Cui Werffius respondit: „Propertium post v i s u s e r a m et a d m o r a m scripsisse c e c i n i nunquam mihi persuadebit Vahlenus. Praeterea sententiam illa mutatione pessumdari quivis videt. Propertius enim designare vult se iam in eo fuisse, ut ex Hippocrena biberet, cum Phoebus ab incepto se deterreret.

Si iam carmen heroum cecinisset, id quod c e c i n i indicaret, Phoebi admonitio omni sensu careret.

Praeterea admodum mirum esset, si Propertius non alias res, quam quas Ennius quoque in Annalibus commemoravit cecinisset. Musa quae eum compellavit (v. 39sqq.) et adhortatur, ne bella canat, de Marii pugnis et de bellis in Germania gestis loquitur. Cur vs. 8 de Aemilii Pauli potius triumpho (167) quam de Aemilii Regilli (189) cogitandum sit, non perspicio. Propertius enim de A e m i l i a n a v i loquitur. Pauli autem triumphum ea potissimum re, quod r e g i s P e r s e i n a v i Tiberi adverso subvectus est, vulgi ora convertisse et Livius et Eutropius IV. 4 docent, qui scribit: Romam cum ingenti pompa rediit i n n a v e P e r s e i, quae invisitatae magnitudinis fuisse traditur. Ergo poetam erroris accusat, qui eum Pauli triumphum voluisse putet, quippe quem Ennius in carmen suum recipere non potuerit". Hactenus Werffius, cuius verba magna ex parte exscripsi, cum eius disputatio non cuique praesto sit.

Ad ultimam Vahleni observationem quam Werffius praeteriit refutandam comparandus est locus notissimus (III, 12, 25) ubi noster summatim Odysseam enarrat, hanc solam ob causam, quod quam multa legerit et quam bene haec omnia teneat memoria, ostendere vult doctus poeta.

Cum autem his versibus Ennii Annalium epitomen breviter proferri manifestum sit, cum Polstero (Quaest. Prop. spec. p. 2) credo versus 8 et 12 inter se transponendos esse, nam ut versus in codicibus traditi sunt, Ennius „qui modo de Horatiorum Curiatiorumque cecinit singulari certamine, iam pergit ad Aemilium Paulum, [1]) inde ad bellum Punicum secundum finitque annalium tenorem belli Gallici temporibus anserum vigilantia capitolio servato".

Sed audiamus Ottonem (Die Versumst. I p. 18), qui ordinem

[1]) aut ut ego volo a d A e m i l i u m R e g i l l u m.

versuum traditum hisce argumentis defendere studet: „es dürfte kaum zufällig sein, dass gerade die berühmten Geslechtsnamen der Horatii, Aemilii, Fabii so eng zusammengerückt sind, und dann, wie Rom durch göttlichen Beistand, durch die Lares populi Romani und durch die Gänse der Iuno aus der augenscheinlichen Gefahr des Unterganges gerettet wurde." Primum tamen veri similius est Propertium res ab Ennio narratas memorare quo ordine ipse poeta epicus eas memoraverit, deinde non solum celeberrimas familias Romanas enumerat noster, cum etiam de Curiatiis Albanis mentio fiat; praeterea post moras Fabii nominat proelium Cannense ordine historico. Fere omnia autem eo ordine enumerat, quo gesta sunt, et mirum profecto esset, si hoc casu accidisset. Probo igitur cum Postgatio Polsteri transpositionem.

13. 14. cum me Castalia speculans ab arbore Phoebus
sic ait aurata nixus ad antra lyra.

Pentameter primo adspectu obscurior nonnullis, in quorum numero Hartmanus est, dubitationem movet an corrupte sit traditus, et Rothsteinius prave mea quidem sententia singula verba coniungit.

Hic enim versum in hunc modum interpungens: sic ait aurata, nixus ad antra lyra, annotat; „Apollo spricht mit der Leier". Sed quin lyra a participio nixus pendeat, nemini dubium esse potest qui meminit, artem Apollinem lyra sua nixum pingere solere. Deinde non credo quod Rothsteinius vult, antra nostro loco eodem fere modo atque I. 1, 11 adhiberi. Antra de quibus hic legimus spelunca nominatur vs. 27. Si in hunc modum explicamus distichon, non est cur dubitemus, num versus 10 recte traditus sit.

17. non hic ulla tibi speranda est fama, Properti

Fruterii coniectura hinc pro hic falso spernitur a Vahleno et Rothsteinio; sententia enim haec est: „ex eo loco, quo nunc

versaris, gloriam petere non debes." Phillimorius Fruterii coniecturam in textu ponit, neque tamen in apparatu critico adnotat h i n c ex coniectura se dare."

21. cur tua praescripto sevecta est pagina gyro?
Quod s e v e h e n d i verbo nemo praeter Propertium usus est, Scaligerum Paleyum Postgatium movit (in edit. 1894) ut „praescriptos evecta est pagina gyros" scriberent, Haec coniectura a Lachmanno „quis ita locutus sit e v e h i g y r o s pro e gyris, vel extra gyros" rogante minime refutatur, cf. III, 5, 37:

curve suos finis altum non exeat aequor,

sed s e v e h e n d i verbum, cur mutandum sit, non video Lachmannoque concedo nihilo peius esse quam s e d u c i.

29. ergo musarum et Sileni patris imago.
Recte pro e r g o **orgia** [1]) coniecit Heinsius quam coniecturam certissimam esse intelligimus, si o r i g o, quod in margine codicum legimus, pro corrupta voce o r g i a habemus. [2]) L. Muelleri coniectura m u s t a r u m (vel potius m y s t a r u m) non necessaria est, ut apparet ex iis, quae ad III. 1. 4 annotavimus.

33. diversaeque novem sortitae rura Puellae.
ad s o r t i t a e r u r a haec annotat Rothsteinius: „weil sich jede einen bestimmten Platz ausgesucht hat"; Broukhusius olim r u r a defendebat propter hederas thyrsos rosas, et Burmannus rura servavit eandem ob causam: „sequor Broukhusium, inquit, rura praeferentem, ut singulae Musae sortitae dicantur r u r a seu agros, in quibus hederas et rosas legerent, quas poetae in dona offerrent".

At huic explicationi inpedimento est quod unam ex Musis

---

1) Postgate, Journ. of Philol. XXII p. 152.

2) Minus placet Hetzelii coniectura o r a q u e; melius intelligimus vocabulum rarius o r g i a corruptum esse quam o r a q u e vocem usitatissimam.

carmina nervis aptare legimus; nam non facile quisquam contendet huic quoque musae rus obtigisse, ubi carmina caneret. Totum versum igitur sic scribo:

diversaeque novem sortitae iura puellae.

36. .... et illa manu texit utraque rosam

sic Baehrensius legit cum F; melius ceteri codices: at illa etc.

41. nil tibi sit rauca praeconia classica cornu

flere...

Pro nil Fruterius nec proposuit; et sane nec tibi sit exspectamus si conferimus:

Verg. ecl. X. 46: nec sit mihi credere tantum

Tib. I, 6. 24 : tunc mihi non oculis sit timuisse meis

Prop. I. 20, 13 : ne tibi sit duros (cum Lipsio) montes et frigida saxa.

Galle, neque expertos semper adire lacus.

Sil. VI, 488 : mihi sit Stygios ante intravisse penates, talia quam videam.

Pseudo-Tib. IV. 3. 3 neu tibi sit duros acuisse in proelia dentes; Rothsteinius annotat: nil ist verstarkte Negation in keiner Weise, wie III. 25.5. nil moveor lacrimis: sed mihi magis placet explicatio Postgatii, qui nil tibi sit = nil ad te sit [1]) interpretatur.

Praeconia classica i.e. navalium bellorum laudes, non mutandum esse in praetoria classica, quod Beroaldus prompsit ex codice reverendae vetustatis, Lachmannus demonstravit; pro flere **flare** legens cum Dousa filio aptissime contulit: Gell. N. A. I, 2, 6: has ille inanes cum flaret glorias.

Mart. XI, 3, 8: quantaque Pieria proelia flare tuba.

Si versus raptim perlegis, poeta de se ut bellum gerenti loqui videtur, quam ob rem Beroaldi lectio primo aspectu placet, sed

[1]) mors nihil ad nos ergo et vita nihil ad nos, Tert. Anim. 42.

versus 42 non de vero bello agit; nam cingere Marte nemus recte explicat Hertzbergius: arma et bellum ipsum in poesin inferre.

42. nec Aonium tinguere Marte nemus
tinguere N; tingere DF; cingere V.
Cingere edunt Lachmannus Hertzbergius Postgatius Baehrensius; tinguere: Vahlenus Muellerus Palmerus. Housmanus (JPh. XXII p. 103) dubitat. Collato Ov. Trist. V, 2, 69:

finitimo cinctus premor undique Marte,

lectionem V praefero.
Postgatius (Sel El. p. 157) de N lectione praeterea annotat: „tinguere would be in grossly bad taste."

ELEGIA IV.

4. De versu quarto comparanda sunt ea, quae ad II, 13, 16 adnotavimus.

5. Jani Gulielmi coniecturam:

Seres et Ausoniis venient provincia virgis,

quam Baehrensius recepit, ingeniosam, sed non necessariam duco (vid. Rothsteinium).

6. assuescent Latio Partha tropaea Jovi.
assuescendi verbum ab hoc loco alienum videtur, nam ut Rothstein explicat: „bisher haben sich die parthischen Trophäen vom Tempel des kapitolinischen Juppiter ferngehalten, jetzt werden sie sich daran gewöhnen müssen, dort als Weihgabe des Siegers zu prangen," assuescent vix ac ne vix quidem explicari potest.
Verum invenit Baehrensius, qui accrescent coniecit.

8. et solitum armigeri ducite munus equi.

Versus difficillimus, qui sine dubio corrupte traditus est.

Citabo explicationes, quas viri docti dederunt confidentius quam verius.

Broukhusius equum intelligit cum ornatu imperatorio, e publico datum, insigne dignitatis, confertque Tac. Ann. XV. 7. Sed eum iam Hertzbergius refutavit.

Videamus nunc, quomodo ipse Hertzbergius locum interpretetur. Munus equi secundum hunc virum doctum nihil aliud significat nisi equum equitibus publice muneri datum, omnesque Propertium hoc loco alloqui putat, quibuscunque equum publicum in bellum ducere licebat. Huic explicationi vox solitum obstare videtur; ob bene merita enim in equestrem ordinem asciscuntur. Rothsteinius aliam viam ingressus vertit: „ein altes (solitum) Kriegspferd, dass seinen pflichtmässigen Dienst zu leisten hat."

Licet munus equi collatis I. 13, 23 (amor Herculis), I, 20, 15 (error Herculis) defendi possit, dummodo concedas nostrum locum multo etiam audaciorem esse, huic quoque interpretationi inpedimento esse credo vocabulum solitum.

Accedit quod armiger equus pro „equo equitem armatum ferente" obscurrissime dictum videtur. Quibus de causis ad coniecturas confugiendum esse suspicor.

Burmannorum coniecturas sumite et discite pro ducite scribentium transeo, cum de equo Troiano hic sermo non sit. Jacobsii coniecturam cludite Hertzbergius iure damnavit.

Ergo in re incerta quid faciendum sit pro certo contendere non ausim; ut aliquid temptem, versum sic corrigere vellim:

et solitum, armigeri, ducite munus equos; [1])

Cum librarius non intelligeret armigeri vocativum esse, equos de suo in equi mutavit.

13. 14. qua videam spoliis oneratos Caesaris axis,

[1]) Baehrensius iam equos scripsit, quem nemo tamen secutus est.

ad vulgi plausus saepe resistere equos,
inque sinu carae nixus spectare puellae
incipiam et titulis oppida capta legam,
tela fugacis equi et bracati militis arcus,
et subter captos arma sedere duces!

Plerique editores Propertii contendunt nos hic exemplum habere hyperbati. Lachmannus nostrum locum, qui primo aspectu offendit, tuetur allatis aliquot exemplis ex ipso Propertio et Ovidio petitis, quae tamen minus feliciter electa sunt.

Quem locum primum citat, ex nostro III. 3. 41 in eo nihil auxilii est, nam recte Keilius (Observ. Crit. p. 38) observat ex utraque quae antecedit sententia repetendam esse in tertiam canendi notionem; (vid. etiam, quae nos de illo loco disputavimus).

De loco ex huius libri elegia sexta (11—13) infra disputabimus; nunc tantum hoc declaramus, illi loco medela opus esse, atque Suringarum sua transpositione manum Propertii restituisse. Ex Ovidianis versibus nihil effici potest: Amor III: 14, 31

cur totiens video mitti recipique tabellas?
cur pressus prior est interiorque torus?
cur plus quam somno turbatos esse capillos
collaque conspicio dentis habere notam?

Neque tamen sto cum Keilio, qui versus 17. 18 transponit ante versum 15.

Confero enim locos, quales sunt: Manilius, IV, 535: se quisque, et vivit, et effert; Lucan. V, 800: fertur ad aequoreas, ac se prosternit, arenas.

Praeterea recte observat Otto (Versumst. I. p. 19): „wenn Bährens zu spectare ein Object verlangt, so kann auch diese Beobachtung gegen den Transpositionsversuch ins Feld geführt werden". [1])

18. Displicet praepositio ante captos posita. Huic incommodo

[1]) sperno igitur Sterkii (vinctos) et Bosschae (nexos) coniecturas.

subvenimus, si versum leni transpositione sic refingimus:

et captos subter arma sedere duces.

Ut subter defendatur conferenda sunt, quae ad II. 28, 29 observavi. Conferatur etiam Verg. VI 254 pingue super oleum etc. (ut legunt „antiqua aliquot" Pierii, nostri codices superque.)

19. Ipsa tuam serva prolem, Venus
sic N; prolem serva DVFL.
Baehrensius lectionem O recepit prolem serva; sed recte observat Housmanus (JPh. XXI p. 132): „The separation of adjective and substantive is less obvious and more workmanlike."

22. me sat erit Sacra plaudere posse Via.
Cum Italis legere malim mi pro me.

ELEGIA V.

2. Versu secundo Phillimorius spernit certissimam emendationem Livenei, quam etiam Lachmannus commendavit: sat.

3. Sequenti versu haeremus in vocabulo tamen.
Nam si sententiam versuum 1—4 exponimus, statim sentimus Propertium sic scribere non potuisse:
„Amantes veneramur pacem, bella odimus, sat nobis est interdum cum puella certandum esse; quamquam igitur pacem colimus, tamen non avari sumus."
Rothsteinio omnia perspicua sunt; quieto animo, tamquam si nulla difficultas sit, initium carminis Germanice sic reddit: „ich habe durch Kämpfe zu leiden (nämlich unter den Zwistigkeiten mit meiner Geliebten) und dabei kranke ich doch nicht einmal an der Habgier, durch die andere Menschen sich das Leben schwer machen." Tali interpretatione ludimur, vitium non tollitur.

Nam si nec tamen etc. cum versu secundo coniungimus, languidissimam habemus sententiam: quisnam nescit rixas amantium nunquam praedam afferre; si versum tertium primo versui adnectimus, non tamen exspectamus, sed enim. Vitium igitur latere suspicati sunt Lachmannus non tantum scribens et Baehrensius, qui non tale scripsit. Neutra tamen coniectura placet. Quid igitur? transpositione opus est; sic enim locum scribe:

Pacis amor deus est; pacem veneramur amantes:
  sat mihi cum domina proelia dura mea.
nec mihi mille iugis Campania pinguis aratur,
  nec bibit e gemma divite nostra sitis:
nec tamen inviso pectus mihi carpitur auro,
  nec mixta aera paro clade, Corinthe, tua.

Hanc coniecturam meam esse putabam, sed hisce diebus vidi eam iam ab Housmano propositam esse. Hic concursus duorum hominum sponte idem invenientium mihi aliquid valere videtur ad fidem faciendam. Nunc quid poeta dicat, cuique perspicuum erit: „pacem amantes veneramur; bella odimus; quae cum puella gerimus, sufficiunt; nam quamquam pauper sum, neque aurum desidero, neque thesauros parare volo".

6. Nec miser aera paro clade, Corinthe, tua
Neque vocabulum miser, quid significet, apparet, neque ablativus clade tua perspicuus est. Utrumque incommodum tollit Ruhnkenii coniectura a Baehrensio iure recepta:
nec mixta aera paro clade, Corinthe, tua.

8. ille parum caute pectoris egit opus.
utique cum Italis scribendum est:
ille parum cauti pectoris egit opus.

9. Corpora disponens mentem non vidit in arte.

Corruptum esse hunc versum permulti putaverunt, ut apparatus criticus editionis Baehrensianae ostendere potest.

In arte in Rothsteinii editione bene explicatum legimus; verbum videndi non explicatur. Viam mihi monstravit Barthii interpretatio non vidit i.e. non providit, parum curavit; exemplum tamen addit nullum. Operae pretium igitur videtur aliquot locos citare, ubi videre eodem modo adhibitum invenimus atque nostro versu:

Cic. ad Attic. V. 1, 3: ut prandium nobis videret i.e. provideret, curaret.

ad Att. XIV. 21, 4: quare talaria videamus,

de Orat. III. 2: videndum sibi esse aliud consilium

Tusc. III. 46: dulciculae potionis aliquid videamus et cibi.

Nihil igitur mutandum.

14. De lectione:

nudus ad infernas, stulte, vehere ratis,

quam viri docti Lachmannus, Paley, Rothstein, Phillimore, Vahlen intactam servant, etiamnunc valet Hertzbergii observatio: „animam, antequam ad rates pervenerit, vectam esse quo iure dixeris?" Ego cum Schradero legendum esse puto:

nudus at [1]) inferna, stulte, vehere rate.

Usus coniunctionis at idem atque I 6, 22; Widder (Berl. Phil. Woch. 1908, p. 541) legere vult:

nudus ad infernos, stulte, vehere rate

coll. II. 1, 37, II. 28, 49, ubi inferni significat inferi. Sic tamen credas ratem ipsam non in inferis esse, sed prius rate ad inferos vehendum esse.

18. optima mors, parca quae venit acta die;

sic legunt codices omnes nisi quod D V F pro acta **apta** habent.

---

[1]) Idem vitium III. 9. 14, ubi Itali at emendarunt.

Recentiores editores, Vahlenus Muellerus Rothsteinius, recipiunt coniecturam Lachmanni: Parcae die.

Ex Rothsteinii interpretatione: „man thut gut sich das Leben zu erhalten, bis es die Parzezers tört'', apparet eam correctionem sensum dare huic loco non aptum. Nam si quis ob stultitiam in mari aut in acie perit, ea quoque mors acta venit die Parcarum. Sensus, quem flagitat contextus arsque logica, hic est: optimum est mori, cum confectus annis vitam relinquis. Hunc sensum restituit emendatio Baehrensii [1]): carpta qua recepta etiam lectio apta in textu ponenda est. Hic locus iis igitur adnumerandus est, quibus D V verum servarunt.

21. me iuvet et multo mentem vincire Lyaeo.

Sic legunt multi editiores cum NF; in DV tamen iuvat invenitur. Initium nostri versus congruat necesse est cum versus undevicesimi; hic autem iuvat habent omnes codices; quaeritur igitur, utrum utroque versu iuvat an iuvet scribendum sit. Sententia hic decernere debet; quid aliud autem exspectare possumus, nisi indicativum? Suam enim opinionem poetam aliorum rationi vivendi quam firmissime opponere velle nemo non intelligit. Idem vitium occurit II. 13. 11, II. 34. 59, ubi videndum est, quae observarimus. Rothsteinius aliquid mutandum esse concedens falso iuvat versu 19 in iuvet mutat.

mentem vincire mihi non corruptum videtur; vid. Rothsteinium.

26. quis deus hanc mundi temperet arte domum

Rothsteinii infelicissima opinio quis pro „pronomine indefinito" habentis (vid. eius adnotationem) optime refutata est a Lechnero (Properzstudien, Pr. Gymn. Bayreuth, 1906/1907, p.

---

[1]) Baehrensii coniecturam probant Hartman (in schedis), Woltjer in praestantissimo libro, cui titulus: Serta Romana⁴ p. 117.

15—19), qui collatis III, 21, 25, IV, 3, 37 recte observat Propertium non solius Epicuri philosophiam amplexum esse, sed eum alios quoque sapientes legisse.

29. unde salo superant venti.
Superandi verbum hoc loco vertit Woltjerus (Serta Rom.[4] p. 117 „satis superque adesse". Praestat vertere: „qui fit, ut venti in mari victores sint". Coniecturam Cornelissenii s p i r e n t supervacua videtur.

39. sub terris sint iura deum et tormenta Gigantum
G i g a n t u m omittitur in Neapolitano unde Hauptius (Opsc. II. 57) n o c e n t u m supplet, Housmanus (JPh. XXI, p. 166) r e o r u m collato Ov. Ibis 127, quod, si omnino mutandum, probabilius est. Housmanus cur G i g a n t u m malam interpolationem ducat hisce verbis docet: „When Propertius grows old he says he will turn philosopher and enquire whether what we hear about hell is true „an ficta in miseras descendit fabula gentis | et timor haut ultra quam rogus esse potest": now the tales which strike terror into mankind are not so much the punishments of the giants but rather of human malefactors". Mihi tamen haec argumenta non tam gravia videntur, ut G i g a n t u m interpolatoris esse credam; quod N amisit vocem, casui tribuendum puto: Gigantes enim apud inferos puniri complures loci docent: Stat. Theb. IV, 533 VIII, 42, Sil. Ital. XIII 590; neque intelligo, cur tormentorum Gigantum mentio non idonea sit, quae in universum demonstret malos poena affici; cur de h o m i n i b u s tantum malis sermo esse debeat. Hoc igitur loco lectionem O non spernendam esse defendo.

39—42. Versus 40 et 42 inter se transponendos esse vidit Housmanus (JPh. XVI, p. 9); cf. Postgate: CR. XVI, p. 309.

ELEGIA VI.

3. non me laetitia tumefactum fallis inani

non N; dum O.

Phillimorius ex N edit non; sed num legendum esse ex ceterorum codicum vitiosa lectione dum, quae ex parte verum servavit, luce clarius apparet.

9. sicin eam incomptis vidisti flere capillis?
    illius ex oculis multa cadebat aqua?

Pro sicin eam (Baehrensius) O legunt sicut eam, N si cā (= si causa). Hoc loco O meliores sunt quam N, Phillimorius nihil mutans sic interpunxit:

sic, ut eam incomptis vidisti flere capillis,
    illius ex oculis multa cadebat aqua?

Sed primum poeta debet quaerere, num revera flerit puella, tum demum, num multas fuderit lacrimas.

Lectio O leviter mutata vera est: pro sicut eam cum Baehrensio sicin eam legendum.

11—14. nec speculum strato vidisti, Lygdame, lecto?
    ornabat niveas nullane gemma manus?
ac maestam teneras vestem pendere lacertis,
    scriniaque ad lecti clausa iacere pedes?

Ordinem horum versuum mutare voluit G. T. Suringarus in prolusione Lingensi anno 1806 edita p. IX; transposuit enim versus 12 et 14 inter se. Praeter Baehrensium et Hartmanum nemo hanc transpositionem recepit.

Keilius (Observat p. 39), qui in carmine IV Suringarum secutus est, hoc loco ordinem traditum defendit hisce verbis: „sic res cogitanda, quasi addat quae oblitus erat". At nulla causa est, cur putemus poetam hoc potissimum loco tam dura constructione usum esse; nam in textu tradito infinitivi pendere et iacere versu 12 male a verbo vidisti separantur.

Accedit, ut Suringari coniectura apte speculum cum scriniis, lectum cum lecti pedibus, vestes cum gemmis iungantur.

22. et qualem nullo dicere habere domo.
Sic N quem Palmer (Ha. IV, 60) splendide emendavit: et qualem nolo[1]) scribendo. Praeterea pro domo domi scribendum est; cf. Q. Cic. de pet. cons. 2, 8: quo tamen in magistratu amicam, quam domi palam haberet de machinis emit (Housm. Journ. of Ph. XXI. p. 115). Incredibile dictu Vahlenus talem coniecturam spernit.

27. De hoc versu, quem Heinsius sic emendabat:

illum turgentis sanie portenta rubetae

conferenda sunt quae adnotavit Broukhusius; vid. etiam Rothsteinium. Neque ego quicquam muto.

28. et lecta exectis anguibus ossa trahunt.
Concedo nonnullis viris doctis hunc versum medicina egere; neque tamen recte agunt, qui anguibus corruptum esse putant, cum vocabula ranae et strigis anguium mentionem satis defendant, ut Housmannus observat (JPh. XXI, p. 190), qui iure reicit coniecturas quales ex atris ignibus (Marklandus); neque igitur verum vidit Paleyus (JPh. XVI, p. 188) pro anguibus: unguibus proponens. In exectis vitium haerere cum eodem Housmano censeo; „is autem exectis, inquit, which the editors who keep it apparently take to mean „cut open", means „cut out", and therefore, so far as this passage is concerned, means nothing".
Neque tamen magis quam coniecturae supra damnatae ipsius Housmani correctio placet: exuctis anguibus („the dried bodies of snakes"). Quid legendum esset, vidit Otto (BphW 1884, no. 18):

[1]) Juv. VIII. 275, Catull. 67. 45.

et lecta ex sextis anguibus ossa trahunt,

Paulo longius abest, quod ipse coniciebam: insectis pro exsectis.

30. Hoc versu pro viro cum Heinsio toro esse legendum moneo propter Phillimorium, qui eius coniecturam in textum non recepit. Eandem corruptelam invenimus: II. 9. 16. Qui viro mutari nolunt, locum explicant, ut olim Barthius. Apud quem haec legimus: mihi funestus vir est Propertius, Cynthiae multa mala ingentemque luctum afferens; intelligit nimirum icunculam ceream poetae cf. Verg. Ecl. 8,73. Profecto explicatio nimis contorta. quae vix ac ne vix quidem e verbis traditis elici potest.

39. Infinitivum torquerier me iudice a verbis mea... mandata reporto pendet; noli igitur eum Baehrensio credere torquerier a verbo iurabo pendere; vide, quae Rothsteinus annotet. Sic quoque facile caremus coniecturis [1]) pro esse propositis. Recte Paley observat; „esse is for fuisse, and implies the duration of time".

42. Housman (Journ. of Phil. XXI p. 116) Luciani Muelleri coniecturam quodsin e tanto commendat pro corruptis verbis, quae in manuscriptis leguntur: quid mihi si (O), quod nisi et (N). Mihi melius videtur cum Lachmanno scribere quod mihisi e tanto, vel potius cum Palmero quod mi si e tanto. Hoc propius abest a Neapolitano, quam Muelleri coniectura, quae etiam ideo minus placet, quod mihi vel mi aegre caremus.

---

[1]) Baehrens: ecce, Housman: ipse.

ELEGIA VII.

Postquam Vahlenus in praestantissima dissertatione de nostro carmine (Über die Paetus-elegie des Propertius, Sitzungsberichte der kön. Preuss. Akad. der Wiss. zu Berlin, 1883 p. 69—90) textum traditum a transpositionibus virorum doctorum felicissime defendit, supervacuum esse videtur de Scaligeri Baehrensii Housmani Postgatii conaminibus fuse disputare. De summa enim re cum Vahleno sto; dicam tantum, quibus rebus ab eo dissentiam. Imperativus r e d d i t e (vs. 25) semper viris doctis magnam difficultatem praebuit; quemnam, omnes inquiunt, hic alloquitur Propertius? Vahlenus novi quid excogitavit: undas maris a poeta compellari affirmat. Ad suam opinionem stabiliendam memorat poetas Latinos saepe imperativo uti, cum non addant, quem alloquantur, citatque aliquot locos:

ex Horatio, C. III 26. 6: hic, hic ponite lucida funalia

ex Tibullo: II, 3, 79: Ducite: ad imperium dominae sulcabimus agros

ex Ovidio: Heroid. 5. 119: dum licet, obscenam ponto demergite puppim,

Heroid. 7. 69: „Quid tanti est? totum merui; concedite" dicas.

Sed de his locis ceterisque eiusdem generis, quos Vahlenus citat, verissime observat Otto (Versumstell. I p. 21): „Die Stellen, an welchen wie hier der Imperativ ohne beigefügte Anrede gesetzt ist, unterscheiden sich wesentlich von den vorliegenden. In allen richten sich die Imperative entweder im algemeinen an die Menschen, (wie in v. 29) oder an bestimmte, mit der betr. Situation in enger Beziehung stehende Personen".

Cur undae potissimum intelligendae sint, ex nulla re patet; nam quos hoc loco alloquatur Poeta explorare nemini unquam contigit ante Vahlenum.

Credo me iam demonstrasse ne Vahlenum quidem imperativi usum absolutum explicare posse.

Versus 25—28 autem ne a sequentibus separentur monet contextus. Postquam vs. 28 dixit:

et audaci tu timor esse potes,

optime adnectuntur querelae de audacia hominum mari se committentium. Transpone autem cum Ottone versus 13—16 post 24 et omnia bene procedunt.

Versus 19—22 a plerisque viris doctis male explicantur, quod effecit, ut Postgatius (in edit. 1894) et Nairnius [1]) eos delere vellent.

Rothsteinius eos versus sic explicat: Argynno saltem suum sepulchrum esse, Paetum insepultum escam piscibus natare. Hoc tamen sibi velle verba Propertii non facile credam.

Melius Vahlenus: „Wenn es heisst: sunt Agamemnonias testantia litora curas, so sollen die Ufer, wie sie für Agamemnons Schmerz zeugen, zugleich und dadurch Zeugniss ablegen für die Gefahr des Wassers dem Niemand ungestraft zich anvertraut". Sed Athenaeus XIII, 603d nobis tradit Clemente Alexandrino (Protrept. 34) et Stephano Byz. (sub voce) assentientibus Argynnum non in mari sed in Cephisso flumine esse submersum. Me igitur iudice versus a poeta additi sunt, ut exemplo mythologico ostenderet undam habere deos inexorabiles [2]). Versum 22 corrupte esse traditum fere omnes consentiunt. Ex coniecturis recentioribus cito has:

quae notat Argynnum poena minantis aquae (Otto, H.23, p.42)

quae notat Argynnus, praeda morantis aquae (Thompson, CR. XII, p. 407)

Equidem propono:

quae notat Argynnus, praeda minantis aquae.

---

[1]) Class. Rev. XIII p. 393.

[2]) Sic Otto (Versumst. I p. 19).

In transitu moneo nullum pondus habere Risbergii [1]) observationem, qua Ottonem versus 13—16 post 24 transponentem refutare vult: poetam, postquam de Agamemnone et Argynno locutus sit versibus 21—24, non potuisse quaerere: quae spolia ex illo tanta fuere tibi? Nam versibus 13—16 de naufragio sermo est; spoliorum causa Aquilonem Paetum rapuisse contendit poeta, quae omnia prorsus differre ab Argynni casu non opus est monstrare.

29. ite, rates curvae, et leti texite causas

metrum et sententia clamant textum corruptum esse. Baehrensius praeeunte Fischero praetexite scribit. Ante eum Itali

ite rates, curvae, ite et leti texite causas.

Verbum texendi [2]) autem ostendit non naves sed homines subiectum esse. Cum Passeratio igitur repone:

ite, rates curvas et leti texite causas.

37. natura insidians pontum substravit avaris

Broukhusius hic natura in fortuna mutare voluit, sed eum iam refutavit Lachmannnus. Versus, si integer, vertendus est, natura insidias struens avaris pontum sub navibus eorum stravit, ut mari committere se auderent.

Qui cum Fonteinio

natura insidias (sic Itali) ponto substravit avaris

legere vult, me iudice substravit retinere non potest; nam sternere insidias nunquam dicitur; coniciendum esset substruxit, sed tres locos uno versu corruptos esse minus verisimile est. Servo igitur lectionem codicum.

40. tracta, pro quo Heinsius strata, Burmannus rapta coniecerunt, optime defenditur versibus Lucani, V. 235:

---

[1]) Emend. et expl. p. 63.

[2]) Verg. Aen. XI, 326; Cat. 64, 10; Ov. Met. XI, 524.

Euripusque trahit, cursum mutantibus undis,
Chalcidicas puppes ad iniquam classibus Aulin.

„Tracta salo, inquit Burmannus, classis Graeca hic est, quae dolo attracta ad rupes Opheltis prope Caphareum promontorium in scopulos illisit, quod suadet fregere versu praecedenti".

42. De hoc versu vide nostram adnotationem ad II, 16, 11.

49. Pro Chio cum Santenio scribe Thyio.

46. pauper at in terra nil ubi flere potest
Exspectatur: nil ubi flere posset. Postgatius Baehrensii coniecturam assumpsit: pauper at in terra nil nisi fleret opes. Equidem non dubito, quin cum Iacobo restituendum sit: pauper at in terra nil ubi flare potest, quae coniectura certissima fit, si cum viro docto Nairn (CR. XIII, p. 393) putamus Propertium hoc loco cogitasse de Lucretio VI, 139 sqq:
nam quid possit ibi flatus manifesta docet res,
hic, ubi lenior est, in terra cum tamen alta
arbusta evolvens radicibus haurit ab imis.

51. Fischerum, qui 51 et 53 sedem mutasse credebat Otto refutavit (Versumst. I p. 21); 51 opponitur versui 48, versus 53 revocat versum 50.
Qui Fischerum sequuntur, ligno non trabem esse, sed navem putant, hoc tamen minus placet; nos, qui ordinem traditum servamus, hiatum oris intelligimus, illi rimam.

60. attulimus longas in freta vestra manus
Longas a plerisque defenditur collato II, 2, 5
fulva coma est longaeque manus....
quo versu Propertius formam suae puellae laudibus extollit. Optime intelligere possumus longas manus nominari, ubi alia signa formae laudentur, sed fac poetam revera hic dicere velle: cur iuvenem me rapitis, cur moriendum mihi est, qui

tam pulcher sim; nonne mirum est manus potissimum ex tot pulchritudinis signis elegi.

Mulvany (Class. Rev. V p. 433) aliam viam ingressus est. Confert Plinii Hist. XI. 114, ubi legimus Aristotele auctore „longae esse vitae incurvos umeris et in manu una duas incisuras longas habentes." Longas manus hic significare „manus cum duabus incisuris longis" non facile credam; aequo maioreve iure manus cum praelongis digitis longae manus nominari possunt, sed idem philosophus apud Plinium ponit vitae brevis signa: praelongos digitos. Si Mulvanius vertit: „Why did you destroy me in my youth? I was designed to have a long life", non est, cur eum sequamur. Vides textum traditum defendi non posse.

Quidnam legendum sit, apparet, si comparamus nostrae elegiae versum 16

portabat sanctos alveus ille viros.

Sanctas enim pro longas legendum, ut ante me coniecere Waardenburgius (Opusc. p. 259) et Baehrensius. Sanctas manus optime Latine dicitur, cf. Val Max. II. 2, 8: imperatoribus nostris quam sanctas manus habere deberent apud ista altaria discentibus; cf. Prop. II, 32, 28:

testis eris puras, Phoebe, videre manus.

Minus placet, quod nuperrime coniecit Phillimorius (CR. XXIV, p. 214): attulimus nullas in freta vestra manus (= „I have done no violence to your waters, given you no provocation"), quoniam utique hic dativum exspectamus; quod cum sentiret ipe Phillimorius citavit:

Cato ap. Aul. Gell. IX, 12, 8: vim in corpus liberum non aecum censuere adferri.

Varro R. R. II, 9, 9: ut (canes) in dominum adferrat dentes; nostro tamen loco Phillimorii correctione admissa sententia nimis obscura fit.

63. at saltem Italiae regionibus evehat aestus

Sic edunt Rothsteinius et Phillimorius; scribe tamen cum Italis: advehat. Loci ab Rothsteinio allati nostrum prorsus non defendunt; hic ambiguum esset evehendi verbum; nam discerni non poterat, utrum regionibus dativus esset, an ablativus.

68. et tu materno tracta dolore Thetis.

Sic scribit Phillimore cum manuscriptis; lege cum Beroaldo tacta.

ELEGIA VIII.

Quid elegia, de qua nunc disputaturi sumus, sibi velit, Postgatium latere videtur, qui versus 35—40 a nostro carmine alienos putat (vid. appar. cr. edit. 1894). Sed iam Paleyus breviter adnotavit, quomodo haec elegia interpretanda esset: „in this clever and spirited elegy the poet assures Cynthia that so far from being offended with her violent bearing in a recent quarrel, he considers it as the strongest proof of her affection. This is said with a view to retaining her favour against the claims of a rival who is briefly addressed with considerable bitterness at the conclusion".

Versus autem damnatos revera ad nostrum pertinere carmen facile demonstrari potest, cum Itesius (De Prop. eleg. inter se conexis p. 56sqq.) exposuerit hanc elegiam et sextam huius libri idem argumentum tractare: „discordiam inter poetam et puellam ortam, ita quidem ut el. 8 tranquillum et levem poetae animum ostendat, quem in hac re se habere fingit, sexta invidiam et iram puellae". Bellum enim esse et nostra et sexta elegia ostendunt. Cum autem duas has elegias inter se comparavimus, tum demum intelligimus, cur poeta in sexta tam anxie servum de puella interroget, cur tam multis verbis utatur, ut fidem suam atque amorem fateatur (6, 37—40), quam ob rem tam ardenter speret

felicem redituram concordiam (6, 41): aemulus retia tendit lecto poetae (3, 37). Puellae querellis, inquit Itesius[1]) (p. 59), opponitur ipsius ira de iniuriis illius orta, illius rivali respondet aemulus poetae. Quem cum nullo verbo praemisso alloquatur poeta atque acerrimis quidem verbis, suspicamur multum eum valere et totum Cynthiae amorem occupasse ita, ut poetam illa neglegat. Quam neglegentiam poeta quidem pro superbia puellae pulchritudine confisae accipere vult versibus 35. 36; sentimus tamen ipsum non credere. Neque magis persuasum habemus eum ex animi sententia dicere: „in te pax mihi nulla placet" (8, 34), postquam servo libertatem promisit, „si e tanto felix concordia bello exstiterit" (6, 41). Vides igitur tria illa disticha utique servanda esse quo loco in codicibus legantur, neque a carmine nostro separanda.

3. Versu tertio cum Beroaldo pro cur lego: cum.
Si cur legimus, poeta iratus videtur: tota tamen elegia ostendit eum gaudere si puella secum rixetur.

11. De Scaligeri ingeniosa emendatione rabida pro gravida ab omnibus editoribus recepta non opus est dicere.
De versibus 11—16 viri docti diverse iudicaverunt. Vahlenus (Monatsber. der Kön. Preuss. Akad. zu Berlin 1881, p. 360.) de iis sic scribit: „die drei Distichen 11—16 bilden nicht eine gleichartige Reihe, obwohl die grammatische Form dies zulässt oder zu verlangen scheint, sondern, während die beiden ersten einen Effect bezeichnen, enthällt das dritte, wen ich recht verstehe, ein Motiv das solchen Effect herbeiführen könnte. Die Distichen 13. 14 und 15. 16 schliessen sich fest an einander und enthalten angemessenen Gedanken: „wenn sie den Ausgehenden mit Wächtern umstellt oder wie eine Bacchantin ihm nachsetzt auf die Strasse, sei es dass sinnlose Träume sie

[1]) Nostram igitur elegiam sextae supplemento esse recte statuit Ites.

schrecken oder das Bild eines Mädchens sie in Unruhe versetzt": Das ist Wirkung und Grund in zweckmässiger Verbindung. Das erste Verspaar aber 11. 12 „ein Weib, das mit rasender Zunge Scheltworte ausstösst oder vor Venus Füssen sich wälzt" zeichnet ein Gebahren, dessen Anlass wir nicht sehen. Hier also wird ein Distichon vermisst".

In hac opinione cum viro praeclaro stare non possum: sex exempla dat poeta quomodo femina amans se gerat: aut rixatur aut ante signum Veneris procumbit, aut ambulantem virum custodit, aut eum sequitur, aut somniis vexatur, aut amoris timet aemulam. Ex hisce apparet, iniuria quicquam a Vahleno desiderari.

13. Versus 13 ab editoribus diverse scribitur; in manuscriptis sic legitur: custodum (custodem: DVL.) gregibus circa se stipat euntem. Haec Paleyus sic interpretatur: „when a women appears in public with so mane attendants, that he cannot have access to her". Quod tamen non placet; nam multo ante Jacobus rectissime scripserat: „quae se custodibus stipat, ea aut fragilitati suae timet, quod ab hac descriptione abhorrere dicimus, aut difficultate accessus incitare amorem magis studet, quod propius quidem ad nostram rem pertinet, sed non omnino satisfacit. Hic enim habemus non artes meretricias callentem, sed iracundam et furentem amoris stimulis: ea suspiciosa cingit potius quem amat (euntem) custodibus, ne sese fallat"! Quibus adductus credo versum sic scribendum esse:

custodum gregibus circa seu stipat euntem

coniectura usus Lachmanni.

19. non est certa fides quam non in iurgia versat.

Pro iniurgia, quod N legit, habent LDV iniuria; pro vertat F habet vertat. Postquam Vahlenus[1]) monstravit in iurgia vertas legendum esse, non opus est fusius de hoc loco disputare.

[1]) Ind. lect. Univ. Ber. aest. 1881; cf. Housman, Journ. of Philol. XXI, p. 116.

25. 26. tecta superciliis si quando verba remittis,
aut tua cum digitis scripta silenda notas.

Hi versus inter difficillimos poetae habendi sunt. Postquam Lachmannus eos spurios habuit, Vahlenus, cui adstipulati sunt Otto (Versumst. I. p. 21) et Risbergius, novi aliquid excogitavit: versus 25. 26. post 12 transposuit (Monatsber. der Kön. Preuss. Akad. Wiss. Berl. 1881, p. 361). In sexta autem editione Lachmanno duce versus illos uncinis inclusit. Rothsteinius eos servat loco, quo traditi sunt; attamen alio modo explicat, quam Paleyus. Quot homines tot sententiae!

Longum est singulos refellere. Summam tantum attingam. Quid Propertius sibi voluerit, docet Tib. I. 2, 21. 22:

illa viro coram nutus conferre loquaces
blandaque compositis abdere verba notis.

In hac re cum Rothsteinio sto; vide tamen, quid ad nostrum versum addat: „die hier (vs. 25) gegebene Schilderung der Situation knüpft nur an das erste Glied der oben aufgestellten Alternative an, (s. zu II 28c. 53) auf das zweite wird gar keine Rücksicht genommen. Es wäre pedantisch gewesen, wenn der Dichter statt r e m i t t i s hätte sagen wollen „ego remitto vel tu remittis." Ad ea licet observare in loco allato nihil praesidii esse ad hunc locum defendendum, ut eo loco exposuimus. Sed ut nunc legimus, locus obscurissimus est, quod apparet ex interpretationibus tam inter se diversis. Huic incommodo obviam imus, si cum Sandstroemio (Emendat. in Propertium, Lucanum Valerium Flaccum, 1878) et Hartmano versu 24 t u a s et m e a s inter se transponimus.

27. Hic versus ex correctione in F sic legendus est:

odi ego quos numquam pungunt suspiria somnos

Pro q u o s O habent q u a e, quod iniuria tuentur Postgatius (in edit. 1894) et Phillimore. Paleyus et Vahlenus c u m legunt, ut Itali coniecerunt.

29. Iniuria spernunt Rothstein et Phillimore Fruterii coniecturam Graia pro grata.

40. Pro offensam (sic O), quod Phillimorius iniuria retinuit, cum Italis offensa restituendum est: offensa mihi et amica tibi inter se opponuntur. Quomodo vitium manifestum ortum sit, explicat Paleyus: „The Naples MS. has offensam, which reading arose from not understanding the right accusative (copiam noctis) to dedit".

ELEGIA IX.

2. Intra fortunam qui cupis esse tuam
Liveneius infra coniecit, sed confer:
Ov. Trist. III. 4. 25:

crede mihi: bene qui latuit, bene vixit, et intra
fortunam debet quisque manere suam

Quint. XI. 3. 8 scripta Hortensi intra famam sunt.
Florus I. 3. 5 citavere leges nefas; sed abstulit virtus parricidam: et facinus intra gloriam fuit i. e. minus gloria (de Horatio).
Seneca, Medea: 520: fortuna semper omnis intra me stetit i. e. „ego fortunam in potestate habui" ubi Peiper et Richter tamen infra legunt,
et Broukhusium ad hunc locum.

8. flamma nec ex aequo ducitur ulla iugo
En versus difficillimus, qui diversis modis legitur explicaturque. Plerique viri docti pro flamma quod legunt O Beroaldi lectionem fama recipiunt; deinde cum Lachmanno putant poetam hoc sibi velle: „fama acquiritur ab eo tantum qui artis suae fastigium attigit". Alii Lipsio praeeunte etiam ulla corrigunt scribuntque una; sic tamen aequus non differret a voce idem

et praeterea sententia obscura manet. Vir doctus Reid apud Postgatium (Select. Elegies p. 170) ingeniose coniecit: „palma (sic Itali) nec e Coo ducitur illa iugo". Equidem censeo vocabulum f l a m m a esse retinendum, deinde cum Rothsteino explicandum: „Feuerzeichen werden nur von den höchsten Spitzen aus gegeben".

Hanc explicationem toti huic loco aptissimum esse concedes, si etiam quae praecedunt una cum nostro versu exposuero: „Cur vis, clarissime Maecenas, inquit poeta, me epicum pangere carmen; non is sum, qui tale quid praestare possim; turpe est onus portare velle gravius quam pro viribus, non omnia possumus omnes et si quis alicui rei non par est, si ingenio caret, nihil aget; neque enim flamma duci solet a loco aequo et plano." Cui, ut Paleyo, displicet i u g u m a e q u u m, i u g o i n l o c o corrigere potest, quod si mea coniectura vera est, etiam 1. 13, 24 a librariis corruptum est.

13. argumenta magis sunt Mentoris addita formae.

Cave ne cum Postgatio pro a d d i t a conicias i n c l i t a cf. Verg. Eclog. 3, 36sqq. pocula ponam
fagina, caelatum divini opus Alcimedontis,
lenta quibus torno facili s u p e r a d d i t a vitis
diffusos hedera vertit pallente corymbos

f o r m a non cum Postgatio m o u l d (Select. El. p. 172) interpretor, sed m o d e l, d e s i g n cum Paleyo. M a g i s Schulzius recte vertit (Röm. El.[4] p. 219): m e h r a l s b e i a n d e r e n.

15—16. Hi versus quin iure ut spurii a Risbergio (Emendat. p. 39) sint deleti prorsus non dubito.

Poeta enim de variis hominum studiis agens enumerat: statuarios (9—10), pictores (11—12), caelatores (13—14), sculptores (15—16), agonistas (17—10), viros civiles, militares (19). „In quo offendit, inquit Risbergius, et quod artis fingendi peritis

tantum spatii (vv. 9—10, 15—16) concessum est, et quod illa disticha separatum habent locum."

Praeterea attendas velim, quibus verbis sententia „Juppiter Phidiacus ornate ex ebore factus est" enuntietur; pentametrum autem versus duodecimi meram imitationem esse acute observat idem vir doctus. Burmannus, qui pro vindicat venditat legit, ipsum interpolatorem emendat.

17. est quibus Eleae concurrit palma quadrigae,
est quibus in celeres gloria nata pedes.

Hertzbergius poetae verba sic intelligit: „palma aurigae, inquit acrius nitenti advolare a meta et obviam concurrere egregie fingitur"; Rothsteinius hexametrum legit, ut codex V: „est quibus Eleae concurrunt palma quadrigae", quod sic explicat: „est palma iis destinata quibus quadrigae Eleae concurrunt"; deinde sententia pentametri haec est: „est etiam palma iis destinata, quorum gloria sua natura ita comparata est, ut in pedum laudem cedat." Sed potestne est mihi palma salva lingua significare mihi palma distinata est? Non opinor. Deinde in Rothsteinii explicatione verbum est nimiam ἔμφασιν habet.

Mihi vulgata recte se habere videtur, modo cum Barthio sic interpretemur: est quibus = ἔστιν οἷς.

Concurrit est simul currit, nimirum sicuti quadriga illorum currit, ita sequitur illam victoria.

20. Naturae sequitur semina quisque suae;
in codice N sequitur ex seminetur correctum est; fortasse igitur cum Broukhusio sequimur legendum.

21. At tua, Maecenas, vitae praecepta recepi.
Adversativae coniunctioni at hic non locus; cum Baehrensio et Hartmano scribe haec.

24. Ponere iura recte Latine dici potest, cf. Prop. IV, 9, 64: ponit vix siccis tristia iura labris. Anglice: „to lay down the law".

Cum voce secures coniunctum ponere cum Postgatio (Select El. p. 175) explicandum erit infigere terrae.

Fortasse putarit quis — non sine causa — mirum esse Maecenatem „iura i. e. leges ponere vel ferre" dici, et praestare cum Ruhnkenio versum sic refingere:

et liceat medio promere iura foro.

collatis hisce locis: Plin. ep. I. 10 iudicare, promere et exercere iustitiam; Hor. lib. II, Ep. I. 104 mane domo vigilare, clienti promere iura. Imitatio Ovidii: Am. II. 17. 241 te deceat medio iura dedisse foro nos non nihil adiuvat.

Iura dare autem, inquit Servius ad Verg. Aen. I 507: magistratuum summorum est non quatenus iudicant, sed quatenus ius civile edictis suis et decretis augent; et recte Ladewig-Schaper ad locum citatum annotant: „iura, Rechtsnormen die das Volk binden, wie in Rom die edicta des Praetor für die Gerichte bindend wurden".

Notatu dignum est loco Vergiliano iura dabat legesque coniuncta legi, Horatium autem, Srt. I. 3. 105 leges ponere dicere. Dido apud Vergilium idem facit atque Romae summi magistratus.

Hic locus igitur mihi satis ponere defendere videtur; ut Maecenati blandiatur, verbo aliquanto fortiore utitur quam usitato illo verbo dare.

25. Pro hostes, quod sine dubio corruptum est, cum Marklando fortasse legendum: hastas; non tamen certam habeo coniecturam, quod Medi sagittarii erant; de hastis eorum rarius legimus cf. Dionem Cassium XL. 22.

35. Non ego velifera tumidum mare findo carina.

Rothsteinius et Phillimorius (hic dubitanter) totum versum, quia N omittit, interpolatum habent; Vahlenus crucem apponit versum corruptum esse putans. Rothsteinius (Anhang p. 364) sic scribit: „Schon wegen der Messung von findo ist dieser Vers für Properz kaum möglich; aber auch sachlich genügt er nicht, weil nach den Ausführungen über das Verhalten des Maecenas der Gedanke, dass der Dichter es ebenso machen will, noch einmal ausgesprochen werden musste, mindestens durch ein quoque, vielleicht ist aber nicht ein Vers, sondern drei Verse in der Ueberlieferung ausgefallen."

Contra primum argumentum licet observare apud Horatium et Tibullum poliŏ et desinŏ inveniri [1]); deinde versus Ovidio notus fuisse videtur, cf. Met. XV. 719: huc ubi veliferam nautae advertere carinam.

ex Pont III, 2, 67:

cum duo velifera iuvenes venere carina,

et qui versus similior est, Pseudo-Ov. XV, 31: nec me crede fretum merces portante carina findere. Potuit excidere in N propter simile initium versus 37 (L. Mueller) aut exulat propter hanc ipsam causam, quod librarius metrum esse vitiosum credidit. (Solbisky p. 179.)

Alterum argumentum nihil valet: quis hic non cognoscit transitus duriores, quos noster in deliciis habet? Nostro loco initium versus, qui nulla coniunctione cum praecedentibus cohaeret, ipsa brevitate viget.

36. Tota sub exiguo flumine nostra mora est

Postgatius sub defendit comparando: Ov. Fast IV. 427: valle sub umbrosa locus est.... ubi poeta tamen sub adhibet, quod de arboribus locum tegentibus cogitat;

Prop. II. 32. 39: Idaeo legisti poma sub antro,

ubi Rothsteinius recte vertit: unter den Bäumen. Neuter

[1]) Housm. Journ. of. Phil. XXI p. 160.

locus a Postgatio citatus nostrum tuetur; lego igitur cum Baehrensio:

tota sed exiguo flumine nostra mora est;

cf. Ov. Trist. II, 329: non ideo debet pelago se credere, si qua
audet in exiguo ludere cumba lacu.

37.38 non flebo in cineres arcem sedisse paternos
Cadmi ....

„Paterni cineres, inquit Hertzbergius, sunt cineres bellis civilibus conflati"; alio modo Postgatius explicat, apud quem (Select Elegies p. 177) legimus: paterni cineres „the ashes resulting from Zeus' fatherhood or caused by Zeus then a father". Quocunque modo cineres paternos vertis, nullam inde sententiam elicere potes; verum iam vidit Heinsius, qui pro paternos scripsit paternam. Fortasse aliquanto melius scribas: arces .... paternas.

38. Cum Lipsio scribendum est: septem pro semper, quod Postgatius (Select. El. p. 178) iniuria defendere conatur. Non semper flebo prorsus non significare potest: „nunquam flebo", quod hic non exspectatur.

44. et cecinisse modis, dure poeta, tuis.

Minus veri simile mihi videtur hoc versu, ut in priore, de Callimacho sermonem esse; sed etiamsi hoc credere vis, dure defendi non potest; nam in versu, quem citat Ellisius (JPh. XV, p. 18) Anth. Pal. I, 1, 21. 22: *ἡδύ τε μύρτον Καλλιμάχου, στυφελοῦ μεστὸν ἀεὶ μέλιτος* epitheti *στυφελός* asperitas mitigatur addito substantivo *μέλι*; nostro loco durus cum contemptu dictum videretur; aliquanto melior Fosteri coniectura (Cl. Phil. II, p. 216) docte. Equidem nostro disticho, ubi tantum de carminibus amatoriis, neque de epicis sermo est, et Callimachi et Philetae nomen exspecto; omnibus enim locis,

ubi de carminibus amatoriis sermo est, utriusque poetae mentio fit, cf. II, 34, 31, III, 1, 1; IV, 6, 3.4. Fostero (l. l.) observanti duobus locis solum Callimachum nominari respondeo ibi non de elegiis, sed de carminibus heroicis sermonem esse: II, 1, 40; IV, 1, 64.

Restat, ut quaeramus, quid pro dure legendum sit; Beroaldi coniectura Coe longius distat a litterarum ductibus; Scriverii inventum Dore Philetam nimis obscure indicat; equidem Baehrensio praeeunte lego: clare Phileta.

Extrema nostrae elegiae pars difficultatem solvendam nobisoffert. Qui carmen perlegens venit ad versum 47:

te duce vel Jovis arma canam etc.

secum reputet necesse est, utrum Poeta alloquatur Maecenatem an Callimachum.

Unus Otto (Herm. 23. p. 42) putavit Callimachum appellari. Haec sunt eius verba: „Indem man te duce auf Maecenas bezog, so setzte man den Dichter in offenen Widerspruch mit sich selbst. Im ersten Theile des Gedichtes hatte derselbe nämlich das Verlangen des Maecenas, er solle epische Gedichte verfassen zurück gewiesen, nun scheint es, als ob er schliesslich doch dem Wunsche desselben nachgeben wolle.

Ausserdem kam die Anrede an Maecenas so unvermittelt, dass Lachmann die Schlussverse 59/60 vorher einschalten zu müssen glaubte".

Ut haec scribere posset, primum demonstrare conatus est dure poeta, quod in pure aut clare corrigere vult, non de Phileta, sed de Callimacho quoque dici. Huic Ottonis opinioni obstat versus 52, ubi tua iussa non adhiberi potest nisi de Maecenate. Venimus nunc ad aliam difficultatem: ultimum distichon non suo loco legi videtur. Postquam enim dixit poeta se epica carmina scripturum esse, si Maecenas sibi exemplum det, optime sequuntur:

mollis tu coeptae fautor cape lora iuventae,
dexteraque immissis da mihi signa rotis,

dummodo cum Broukhusio mollia pro mollis scribatur. Versus sententia quae sit, videbis apud Rothsteinium: „die Aufforderung enthält die Bedingung, unter der sich ein Fortschritt, wie er eben in Aussicht gestellt worden ist, für den jungen Dichter erwarten lässt". Sed tum fautor non mollis erit; ut lora mollia e suis manibus capiat, rogat poeta, cf. Postg. Select. El. p. 180.

Quid autem post hoc distichon additur?

hoc mihi, Maecenas, laudis concedis, et a te est
quod ferar in partes ipse fuisse tuas.

Postrema pars sententiae in hunc locum minime quadrat: ut enim Maecenas semper simplicitatis amans est, sic Propertius quoque suis amatoriis carminibus contentus est: quomodo autem nunc dici potest Propertius exemplum Maecenatis sequi, si mutato consilio carmina epica componere incipit? Praeterea praesens est nos retinet, quominus ita interpretemur. Supra vidimus, dubitari posse, quemnam poeta alloquatur verbis te duce. Ante id distichon si versus 59. 60 transposuerimus, nihil obscuri restabit omniaque quam facillime procedent. Itaque non dubium est, quin Lachmannus [1]) verum viderit.

ELEGIA X.

Mirabar quidnam misissent mane Camenae

Sic cum codicibus plerique scribunt editores, e quorum numero Rothsteinius haec habet: „misissent wird erst durch signum

---

[1]) Hetzelius (Programm d. Kön. Gymn. zu Dillenburg, 1876, p. 19) versus 47—57 ante versum 21 transponere vult („wo durch die Partikel at am Anfange dieses Verses eine deutliche Beziehung erhält, die sonst nicht nachweisbar sein dürfte"); sed in talem contextum non quadrat versus 52: crescat et ingenium sub tua iussa meum.

misere in v. 3 erklärt". Sed unusquisque, qui primum huius carminis versum leget, de aliquo dono Propertio a Musis misso sermonem fore putabit, et absurdum tertio demum versu legentem intelligere falsissimam fuisse suam opinionem. Heinsius visissent proposuit, melius Passeratius risissent.

25. Pro convivia cum Broukhusio legendum est convicia, cf. Vahlenum, Mon. Pr. A, 1881, p. 347.

ELEGIA XI.

5. Venturam melius praesagit navita mortem

Sic O. Plerique tamen viri docti textum traditum corruptum esse putant: pro melius Marklandus vetulus, Lachmannus pavidus, Baehrensius expertus coniecere; pro mortem autem cum fv noctem scribunt.

Ex aliorum coniecturis cito has:

ventorum melius praesagit navita motum (Owen)
venturam „ „ „ mortem (Postg. JPh. IX, p. 68)
venturum „ „ „ ventum (Richards, CR. XIII, p. 16)

Mihi nihil mutandum esse videtur: nam vox noctem, quam Vahlenus veram ducit, nude posita, ut tempestas significare possit, vereor. Postgatius corruptelam subesse putat, quod nemo non praedicere possit mortem aliquando venturam. Sed nisi nodum in scirpo quaerimus, luce clarius est, quid Propertius sibi voluerit: tu me ignavum nominas, inquit, quod femina me regat; sed tu nondum omnia expertus es, quae ego; quippe nauta melius calamitatem imminentem praesentit ac praesagit; non iam tam audax est quam is qui nunquam fecit iter maritimum; neque miles nescit quam periculosum sit bellum. Qui autem coniecturis suis poetam dicentem fecerunt nautam melius

quam imperitos ventos nosse, aliquid ex poetae verbis expellunt, quod desideratur: timorem dico.

14. Iniuria Baehrensius languidum iniectis, quod in DVF legitur, Neapolitani lectioni Maeotis anteposuit.

21—24. Persarum statuit Babylona Semiramis urbem,
ut solidum cocto tolleret aggere opus,
et duo in adversum missi per moenia currus
nec possent tacto stringere ab axe latus.

Sic duo haec disticha leguntur in Neapolitano; cum tamen nec versu 24 manifesto falsum sit, plerique editores cum DV ne legunt; quod absurdum esse recte observat Housman (JPh. XXI p. 191): „let Semiramis build her walls a mile thick, there will be nothing to prevent the two chariots from touching if you drive them against one another." Si autem cum N nec legimus atque Tyrrellii coniecturam mitti pro missi assumimus, omnia bene procedunt sententiaque evadit aptissima.

25. duxit et Euphratem medium, quo condidit arces

Qua, sic plerique editores cum Neapolitano legunt, sed duxit medium, qua condidit non ita eleganter, sed satis inscite dictum esse quivis mihi assentietur. Hoc igitur loco sto cum Baehrensio, qui a lectione O quam profectus totum versum sic edidit: duxit et Euphratem medium quam condidit arcis.

Quod lectio O sine Baehrensii coniectura nullum praebet sensum, mihi argumento est O hoc loco vestigia veri optime servasse, Neapolitani vero lectionem languidam meram esse coniecturam.

27. nam quid ego heroas, quid raptem in crimine divos?

Sic edidit Phillimorius praeeuntibus Hertzbergio et Palmero; repone tamen crimina cum V, quid enim rapere heroas sic nude positum?

26. Iniuria spernunt Paley et Phillemore Schraderi emendationem subdere pro surgere: Bactra nunquam Assyriae caput fuit.

29. Hic versus sequentesque sic interpungendi et legendi sunt:

Quid, modo quae nostris opprobria vexerit armis
et famulos inter femina trita suos?
Coniugii obsceni pretium Romana poposcit
moenia etc.

Quod modi vexerit et proposcit inter se differunt, argumento est post suos interpungendum[1]) esse, novamque sententiam incipere a versu 31.

Coniunctio et cum Schulzio (Röm. Eleg. p. 228) verto etiam. Pretium coniugis vulgo intelligitur: quod coniugi solvendum est: scribe tamen cum Passeratio coniugii.

36. Lachmannus, qui versus 36 et 40 inter se transponere voluit bene refutatus est ab Ottone (Versumst. I. p. 22); cf. C. Brandt, p. 14.

51. Pro vada cum DV vaga legendum est.

55. 56. „Non hoc, Roma, fui tanto tibi cive verenda",
dixit „et adsiduo lingua sepulta mero",

Sic vulgo editur; et Schulzius (Röm. Eleg. p. 230) explicat: „unter der Regierung des Augustus (hoc tanto cive) brauchtest du, Roma, keine Furcht vor mir zu haben, noch vor dem trunkenen Antonius". Hoc tamen etiam in tam audaci poeta, quam Propertius est, nimis audax videtur lingua sic nude positum de Antonii lingua adhiberi[2]). Phillimorius alio modo interpungit, neque hoc tamen bonam praebet sententiam, ut ex eiusdem versione Anglica videmus:

---

[1]) Rothsteinius falso interpungit.

[2]) Si haec poetam dicere voluisse credis, praestat cum Passeratio scribere: nec ducis adsiduo lingua sepulta mero.

„non hoc, Roma, fui tanto tibi cive verenda!".
dixit et adsiduo lingua sepulta mero:

So said even that sot's tongue, swamped in endless debauch. Mihi maxime placet Housmani coniectura (Journ. of Phil. XVI p. 10) „non hoc, Roma, fui tanto tibi cive verenda"
dixerat adsiduo lingua sepulta mero.

Idem vitium invenitur II, 29, 10, ubi pro bona lectione dixit et (NFL) in DV dixerat legimus.

65. Cum Liveneio perfectum condiderunt restituendum est.

59. 60. Versus 59. 60 non suo loco legi iam Passeratius observavit; Hertzbergius scribere ausus est: poetam argumenti magnitudine abreptum et paene debacchantem verborum rationis sobrie ad amussim expendere et orationis structuras ad unguem exigere noluisse, cui Otto (Versumst. I p. 22) prudenter respondet: „für eine so hochgradige Regellosigkeit und Unordnung giebt es keine Entschuldiging, und man darf es einem Dichter wie Properz nicht zutrauen, dass er selbst in der höchsten Begeisterung blosse Worte ohne Sinn und Bedeutung hingeworfen haben könnte". Rothsteinius difficultatem [1]) tollere conatur, versu 59 ad utrumque nominativum sunt supplendo, quod, quam durum — ne dicam absurdum — sit, quivis sentiet.

Quomodo versus transponendi sint, non ita facile est dictu: Passeratius vs. 67. 68 ante vs. 59 posuit, Otto vs. 59.60 ante v. 68 locum dedit; Housmanus (JPh. XVI p. 10) versus in hunc modum ordinavit: 51—58; 65—68; 59. 60; 47—50, Postgatius: 51—58; 47. 48; 67. 68; 59—60; 49.50; 65—66; 61—72.

Facillime locus emendatur, si cum Hartmano 59—64 post 68 transponuntur. Hartmani transpositione admissa omnia bene procedunt; postquam enim poeta exclamavit:

---

[1]) Aliomodo Mähly (BayrGyo 24, p. 481): Hannibalis spolia et vidit tormenta. Weidgen: Hannibalis spolia et vidi lamenta Syphacis, est Pyrrhi egs.

septem urbs alta iugis, toto quae praesidet orbi,
femineas timuit territa Marte minas?

ostendit Romae nunquam causam fore timoris, quippe quam Dii condiderint serventque (vs. 65); prae hac victoria omnia parvi facienda sunt: nunc ubi Sciapiadae classes eqs.? hanc victoriam ipse Apollo memorabit.

64. et cui . . . : lege cum Puccio: est cui

70. Recte Housmanus correxit (JPh. XVI. p. 10): tanti operis bellum.

ELEGIA XII.

4. Cum Neapolitano scribo ne faceres.

12. neve tua Medae laetentur caede sagittae,
ferreus aurato neu cataphractus equo

Credo cum Hartman in vocabulo ferreus haerere nomen populi, ut versu 11 Medae; optime coniecit Marklandus olim Sericus.[1]) Pro aurato: aerato vel armato legere minus necessarium videtur.

14. sic redeunt illis qui cecidere locis

Haec demum barbara terra est, unde illi qui occiderunt redeunt cinis! exclamat Hartmanus in disputatione batave scripta, cui nomen „Een en ander over Propertius". Baehrensius quoque — quamquam eius coniectura ferri non potest propter futurum redient quod non invenitur apud Augusti aetatis poetas — vitium haerere sensit; scripserat enim;

si redient, illis qui cecidere locis.

Verum restituit Hartmanus palmari sua coniectura:

---

[1]) cf. quae ad IV, 3, 8 annotavimus.

sic redeunt, illos qui tetigere locos.

18. Pro t u a e, quod est in O, cum Italis legendum est s u a e.

25. Castra decem annorum et Ciconum mons, Ismara, Calpe
Quominus haec lectio tradita, quam Rothsteinius allato Strabonis loco quodam (I p. 25) tuetur, sana habeatur, obstare videtur primum quod Propertius ceteros omnes Ulixis casus aliqua re addita illustrat, C a l p a m autem obscurissime intericit. Atqui si Calpae mentionem facere voluisset, de hoc loco tam remoto quo Ulixes fatis actus est, aliquid addidisset, ut hanc m o r a m nobis clare ante oculos poneret. Deinde multo veri similius videtur Propertium attingere ea quae legimus in Odyssea, quam hausisse ex carmine ignoto. Quod Calypso Aeaeam vocat, nihil contra me demonstrat. Talis memoriae lapsus valde excusabilis est. Lectio C a l p e me iudice docti alicuius librarii est, qui modo opus legerat geographicum. Vitium tollitur, si cum Fonteinio c a p t a scribimus. Restat altera quaestio difficilior, quid pro vocabulo m o n s legendum sit. Fonteinii coniectura m a n u s et L. Muelleri correctio M a r s minus placent. Baehrensii coniectura d o m u s versum longiorem reddit. Quas ob causas cum Rossbergio (Luc. Prop. p. 34.) hexametrum ita scribo:

Castra decem annorum et Ciconum m o r s, Ismara c a p t a,

cf. Odyss. IX, 40: *ἔνθα δ'ἐγὼ πόλιν ἔπραθον, ὤλεσα δ'αὐτούς* Pentameter in integrum restituitur Marklandi emendatione t r u x pro m o x, quae et a Wittigio (Krit. Bem. z. Prop. p. 7) et ab Hartmano vera habetur.

ELEGIA XIII.

2. et Venerem exhaustae damna querantur opes
Sic cum codicibus (Neapolitani vitio e x h a u s t o correcto)

edidit Phillimorius, quod Anglice sic vertit: „and drained revenues complain that Venus means bankruptcy." Melius tamen, quia versus sic minus durus fit, Italorum correctio Venere, quam vulgo assumunt.

3. certa quidem tantis causa et manifesta ruinis

Non debuerat Postgatius recipere Palmeri coniecturam (CR. II, p. 39): rapinis pro ruinis. Ipse Palmer suam coniecturam hisce verbis commendat: „Ruinis is unsound for two reasons. First, Propertius is not inquiring into the cause of the bankruptcies of men: secondly, ruinis could not, barley, by itself mean bankruptcies. Cicero's ruinas fortunarum tuarum does not defend it". Sed neutra causa gravis; noster enim hexameter spectat ad pentametrum praecedentem: „cur opes exhauriantur, quaeris; luxuria, cui nimis indulgent mulieres, causa est fortunarum illarum perditarum". In hoc autem contextu ruinis, etiamsi non additur fortunarum vel tale quid, per se intelligitur.

6. et venit rubro concha Erycina salo.

Sic cum codicibus Muellerus Palmerus Postgatius, qui dubitanter Aracina proponit, Rothstein et ipse dubitans, Phillimore. Ego cum Lachmanno Hauptio (Opusc. III, 514) Vahleno Baehrensio Erythraea verum duco.

8. Et Tyros ostrinos praebet Cadmea colores,
   cinnamon et multi pastor odoris Arabs.

Sic Lachmannus, Hertzbergius Muellerus Paleyus Rothsteinius Phillimorius.

Rothsteinius, qui pastor multi odoris coniungit, annotat haec: „der Araber, der das cinnamon nach Rom schickt, is selbst multi odoris, wie IV. 3. 64 der Anführer einer orientalischen Völkerschaft odoratus dux genannt wird".

Absurde, ut iam Hertzbergio visum est.

Sed ipsum vocabulum pastor non habet iustam explicationem. Optime lectionem traditam aggressus est Meuselius (Curae Propert.p. 58) cuius haec sunt verba: „neque descriptio aut notatio desideratur, qua Arabum munus fuisse pastorum indicetur: immo poetam epitheto usum esse tam inutili aut non ad rem faciente negaverim neque enim aliud quidquam hoc loco postulatur nisi ut Arabs ipse quoque ad luxuriam augendam sua afferre dicatur, sed quid cinnamo et odoribus commune cum ovibus vaccis capellis?

Rothsteinius tale argumentum exspectans in appendice critica (p. 366) haec scribit: „Das seltsame pastor wird man schwerlich damit erklären können, dass von arabischer Schaf- oder Rinderzucht vereinzelt die Rede ist. Eher kann man vielleicht annehmen, dass der Dichter den Araber der von dem Ertrage der Zimtstaude lebt, mit einem Hirten und die Pflanzung mit seiner Herde vergleichen will". Haec explicatio tam contorta est, ut vel Persio nimis obscura videri debuerit. Quod idem vir doctus annotat ad nostrum versum pastorem e Graeco sermone versum esse (pastor = *νομάς*, Germanice = Nomade) ex nihilo fictum est. Quomodo enim intelligat quis vocem pastor hoc loco sensu tam insolito dictum esse?

Hoc igitur apparet vocabulum pastor corruptum esse. Meuselius, cuius verba supra cum assensu citavimus, praestat [1]) conicit, quoniam post mittit, venit, praebet quartum quoque verbum exspectat. Mihi tamen versus languidior fieri videtur, si quartum verbum additur, praesertim cum illud praebet facillime repeti possit. Praeterea eum cum Hertzbergio cinnamon multi odoris coniungentem sequi nolim; omnia autem bene procedunt, si cum Guyeto probantibus Vahleno Baehrensio Hartmano versum sic scribimus:

---

[1]) Ante eum iam Rossberg: Jahrb. Kl. Ph. 1883 p. 73.

cinnamon et multi coston [1]) odoris Arabs,

cf. Hor. Carm. III. 1. 44, ubi res pretiosissimae enumerantur:

quod si dolentem nec Phrygius lapis
nec purpurarum sidere clarior
delenit usus nec Falerna
vitis Achaemeniumque costum.

9. haec etiam clausas expugnant arma pudicas

Recte L. Muellerus [2]): „si pudicae puellae, cur clausae? si non pudicae, omnibus, ut ait Ovidius, exclusis intus adulter erit." Marklandi coniecturam puellas, quam Postgatius recepit, Lucianus Muellerus iure spernit, quod de iis quae sponte peccant, toto hoc loco agatur. Quod ipse proponit nymphas ex nifeas, quod in N superadscriptum invenimus, placet. Propter versum 24 autem malim cum Housmano (JPh. XVI, p. 10) legere:

haec etiam Euadnas expugnant arma pudicas.

10. quaeque terunt fastus, Icarioti, tuos.

Rohtsteinius terendi verbum defendere conatur hac explicatione: „durch terere (wird) der Eifer angedeutet, mit dem die Frauen, die der Dichter sich vorstellt, die Sprödigkeit der Penelope bei jeder Gelegenheit nachzuahmen und zu überbieten suchen, ohne dass sie doch dem Golde gegenüber Stand halten können"; haec explicatio recte se haberet, si pro vocabulo fastus: gloriam legeremus. Heinsii emendatio iterant autem potior [3]) videtur quam Scioppii gerunt, quam receperunt Paleyus Baehrensius Postgatius. Lachmannus Vahlenus terunt intactum relinquunt; Phillimorius in editione sua terunt servat, in versione Anglica quae quaterent legit.

---

[1]) Apud Propertium vocabulum adhibetur: IV. 6. 5.

[2]) Praefat. XXXVII.

[3]) Palmer quoque eam recepit.

19. et certamen habent leti quae viva sequatur
coniugium.

Post habent Rothsteinius sententiam incidit; melius alii post leti; non necessaria mihi videtur coniectura Housmani (JPh. XVI p. 11): et certamen habent, letum quae viva sequatur coniugii. certamen leti habent, in certamen veniunt, quaenam morti se datura sit [2]).

21. ardent victrices

Cum H. Stephano et Passeratio, quos ex recentioribus unus Palmer secutus est, gaudent legendum est. Ineptum est poetam dicere uxores victrices igni iam ardere, deinde pectora flammis eas praebere adicere.

23. Hoc distichon nulla correctione eget:

hoc genus infidum nuptarum: hic nulla puella,
nec fide Euadne nec pia Penelope.

Neque enim opus est Burmanni coniectura pudica pro puella; recte versum vertit Phillimore: „no girl of ours will play faithful Euadne or devoted Penelope".

25. felix agrestum quondam pacata iuventus

Pacata, quod Postgatio suspectum est, potest ferri; fortasse autem cum Cornelissen nostrate barbata corrigendum est. (Mn. N. S. vol. VII, p. 104).

29. Mixta Hartmano suspectum est, nam lilia violis mixta ei languidum videtur.

30. virgineos . . . . per calathos.

Rectissime Fruterius vimineos legit, [2]) iuvenes virgineos

[1]) Recte Phillimore: and they make a dying match of it, which shall follow her husband alive.

[2]) Soli Lachmannus Baehrensius Postgatius Hartmanus eum secuti sunt.

calathos portare sensu cassum est, cf. praeterea Copa 15:

sunt quae virgineo libata Achelois ab amne
lilia vimineis attulit in calathis.

Nihil prodest comparatus versus: II. 1. 67,

dolia virgineis idem ille repleverit urnis,

ubi de virginibus sermo est.

32. Pro viricoloris (NFL), pro quo vulgo cum DV versicoloris legunt, Phillimorius recte scribit vitricoloris ex ingeniosa Ellisii coniectura.

35. hinnulei pellis totos operibat amantis.
Totos multi corruptum ducunt; Postgatius cum Heinsio (JPh. XVI p. 11) lentos coniecit. Lenissima tamen Hoeufftii correctio tutos, quod in hunc locum, ubi placida agrestium vita describitur, optime quadrat.

37. pinus et incumbens lentas circumdabat umbras
vide, quae de hoc versu et de voce umbra annotavimus ad I. 18. 21.

39. Corniger atque dei vacuam pastoris in aulam. Recte observat Palmer de hoc versu, quem supra scripsimus, ut legitur in O, dei post deas 38, sequente dique deaeque suspicionem movere. Volsci coniecturam Idaei cum eodem viro docto reicio, non enim de certo aliquo pastore [2]) loquitur Propertius. Lenissima emendatio Heinsii:
Corniger atque sui vacuam pastoris in aulam.

42. praebebant vestris verba benigna focis cf. III. 4. 4.

---

[1]) In praefatione editionis p. XXXIX.

[2]) Eandem ob causam non probo Postgatii coniecturam: crinigerique dei vacuam pastoris in aulam etc.

55. t e pro e t cum Italis.

56. te scelus accepto Thracis Polymestoris auro
nutrit in hospitio non, Polydore, t u o
T u o O, p i o N.
Vulgo Neapolitani lectio recipitur; n o n t u o (infausto) tamen exquisitius dictum est, quam ut interpolatum aut corruptum haberi possit. Cum Housmano (JPh. XXI p. 157) lectionem O hic Neapolitani lectioni praefero.

59. proloquar: (atque utinam patriae sim v e r u s haruspex)
frangitur ipsa suis Roma superba bonis.
Iniuria Rothsteinius et Phillimorius lectionem v e r u s integram ducunt, neque enim Lachmanni explicatio lectionis traditae: „verus patriae suae haruspex e s s e, id est, v i d e r i postulat" placet. Cum v legendum est v a n u s, cf. Hertzbergium et nos ad elegiam XV, 11 huius libri.

51—54. torrida sacrilegum testantur limina Brennum,
dum petit intonsi Pythia regna dei:
at mons laurigero concussus vertice diras
Gallica Parnasus spargit in arma nives
m o n s ... d i r a s N, m o x ... d u r a s O; d i r a s nulli dubitationi obnoxium est; pro m o n s Baehrensius et Housmannus (JPh. XXI, p. 167) m o x praeferunt; recte, ut opinor nam m o x sententiae vim vehementer auget.

65. ille furor patriae fuit utilis, ille parenti:
experta est veros irrita lingua deos.
Paleyus annotat: „fuit utilis i. e. revera fuit utilis, quamquam spretus nihili factus est; which is equivalent to saying: fuisset utilis, si auditus esset" Rothsteinius observat: „dass der furor der Kassandra utilis war ist ein ebenso beabsichtes Paradoxon,

wie im nächtsten Verse der Gedanke, dass die Prophezeiung der Kassandra gerade dadurch, dass sie irrita war, sich bestätigt hat" Neutra explicatio quicquam prodest [1]); Bahrensius verum vidit (Misc. Crit. p. 105): illa furor patriae vilis fuit, ille parenti Pentameter mihi nondum sanus videtur, nam experta est experiendo probavit significare non credo. Fonteinii coniectura a ductibus litterarum nimis distat, sed bonum praebet sensum:

experta est veros diruta Troia deos.

ELEGIA XIV.

3. quod non infamis exercet corpore laudes

Iniuria Rothsteinius et Phillimorius Johannis Aurati coniecturam ludos spernunt: vitium simile invenitur II, 34,85:
haec quoque perfecto ludebat Iasone Varro,
ubi ludebat FN, laudebat DV.

5. cum pila veloces fallit per bracchia iactus

Rothsteinius credit hunc versum ita esse vertendum: „pila per veloces iactus fallit bracchia", sed per iactus mihi Latine pro ablativo dici non videtur. Hertzbergius interpretatur: ipsa pila dicitur iactus suos fallere, dum cursum suum, quem quodammodo promittere videbatur, subito alio flectit; sic tamen opus est Cornelissenii correctione (Mm. N.S VII p. 105) per inania pro per bracchia.

Ego malim versum cum Scaligero scribere:

cum pila veloci fallit [2]) per bracchia iactu;

Lachmannus tamen improbavit hanc emendationem, quod iactus

---

[1]) cf versionem, quam dedit Phillimore: „ah, here was a madness which might have served her country and her father well!" Quis haec e verbis traditis proferre potest?

[2]) cf. Verg. Aen. IX, 571: hic iaculo bonus, hic longe fallente sagitta.

iaciendi actum, non effectum indicet; quid autem de hoc versu Vergiliano Georg. II, 124:

ubi aëra vincere summum
arboris haud ullae *iactu* potuere sagittae?

dixisset?

9. nunc ligat ad caestum gaudentia bracchia loris,
missile nunc disci pondus in orbe rotat,
11. gyrum pulsat equis, niveum latus ense revincit,
virgineumque cavo protegit aere caput,
13. qualis Amazonidum nudatis bellica mammis
Thermodontiacis turba lavatur aquis;
15. et modo Taygeti, crinis aspersa pruina,
sectatur patrios per iuga longa canis,
17. qualis et Eurotae Pollux et Castor harenis,
hic victor pugnis, ille futurus equis

En locus difficillimus, qui nondum recte a viris doctis editur. Ante omnia versus 15. 16 suo loco non legi monstrat coniunctio *et* versu 17, quod Otto (Versumst. I, p. 23) docuit comparatis hic locis: I, 2, 11; 3, 3. II, 1,63; 2, 9; 15, 15; 16, 30; 25, 7, 13; 26, 51; 27, 3, 7, 34; 34, 37; III, 19, 15.

Apparet igitur versus 15. 16 transponendos; quaeritur, utrum cum Scaligero post v. 12 an cum Ottone post 10 transponendi sint. Ottonis transpositio maxime placet, cum sic *nunc* versu 10 et *modo* versu 15 coniungantur. Sed alia restat difficultas. Nam prorsus non assentior Housmano (JPh. XXI, p. 175.) sic scribenti: „Since much trouble has been caused here by the neglect of a common idiom it may be well to add that „protegit caput qualis Amazonidum turba lavantur" does not in the least imply that the Amazons wear helmets while bathing. It merely means that the Spartan girl wears a helmet as the Amazons do; and it occurs to the poet to mention by the way that Amazons bathe in Thermodon"; „quales Amazonides lavantur" = „quales sunt

Amazonides quae lavantur"; deinde vir doctissimus confert Verg. III, 641:

nam qualis quantusque cavo Polyphemus in antro
lanigeras pecudes atque ubera pressat,
centum alii curva haec habitant ad litora vulgo
infandi Cyclopes et altis montibus errant.

Sed nunc cum Lachmanno rogo, num poeta haec sibi velit: Polucem et Castorem in Eurotae litore lotos esse, Helenam inter lavandum arma sumpsisse.

Praeterea recte observat Kraffertius (Beiträge p. 145): „man weiss nicht recht, warum gerade das Baden der kriegerischen Amazonen zu Vergleichung herangezogen wird", aut (si quis Housmani disputationem sequi mavult), cur poeta hoc potissimum de Amazonibus narret, eas lavari, non apparet.

Scribo igitur cum eodem Kraffertio (l.l.): levatur equis, quod propius abest a verbis traditis quam Heinsii illud: vagetur agris. Cum tamen lectio O lavantur exquisitior sit quam lavatur quod in FN legitur, et III, 17. 28 haec inveniantur: „potant Naxia turba merum", non levatur, sed levantur legendum censeo. Quod autem aliquid de Helena [1]) addit poeta, quae et ipsa puella Laconica est, hoc sic explico, ut duobus exemplis datis sponte redeat, unde abiit: puellas Laconicas liberiore educatione institui quam Romanas.

19. inter quos Helene nudis capere arma papillis

Baehrensius, qui hic Neapolitani lectioni papillis more suo praetulit id quod est in O capillis, pro nudis conicere cogitur fluidis; vides hic quoque Neapolitanum verum servasse[2]). Neque spernere debuerat Neapolitani lectionem capere quae optimum praebet sensum; tunc non opus fuisset pro vitiosis lectionibus F et DV: est armata, armata ex coniectura versata scribere.

---

[1]) vid. Lachmanni adnotationem.

[2]) cf. IV, 3, 43 felix Hippolyte! nuda tulit arma papilla.

Housmanus tamen (JPh. XXI, p. 148) lectionem veram huius loci partim ex O, partim ex N ducendam esse censet versumque sic scribere vult:

inter quos Helene nudis armata papillis
fertur, nec fratres erubuisse deos;

Equidem infinitivos praesentis et perfecti coniunctim[1]) adhibitos librarios offendisse credo, qui armata aut est armata ex coniectura reposuere. Fortasse tamen lectiones O quomodo ortae sint, Postgatius rectius explicat, qui (On certain Manuscr. of Prop. p. 24) sic disputat: „There has occurred one of the transpositions of words which abound in Latin manuscripts. And the readings of O are derived from „arma cape capillis" (for papillis is found only in N), that of F D V „armata" by the loss of „pe" before „pi" and the change of c to t (F further intruding and „est").

Sed quidquid id est, nostrum locum iis adnumerandum esse quibus N verum servaverit contra Baehrensium et Housmanum defendo.

28. est neque adoratae cura molesta domi.

Sic versus legitur in N, et sic quoque edit Phillimorius; non tamen opus est dicere haec sensu cassa esse; neque dubitandum est, quin Canterus recte emendarit:

est neque odoratae cura molesta comae,

quam coniecturam certissimam esse iure contendit Housman (JPh. XXI, p. 157) collato Ov. A. A. versu II, 734:

sertaque odoratae myrtea ferte comae.

Nam hexametrum quoque imitatus est Naso Fast. II, 734: fallentes lumina vestes.

Hoc igitur loco O meliores sunt, quam N; hanc tamen O lectionem coniecturae non deberi posse apparet, cum neque odoratae neque odoratae, si domi sequitur, ullum praebeat sensum.

[1]) cf. Rotheinii adnotationem, et Hor. C. 1. 16. 13, ubi vide Bentleium.

31. Ingenue fateor me haec, sicut tradita sunt, non intelligere: ex Burmanni coniectura leniter mutata corrigendum puto:

nec quae sint faciles nec quae dent verba roganti
invenias,

quod Hartmanno quoque verum videtur. Ipse Burmannus: „nec quae sit facilis nec quae det verba roganti" proposuit.

ELEGIA XV.

3. Ut mihi praetexti pudor est velatus amictus

sic versus in N legitur, nisi quod amicus pro amictus. Palmer (praefat. p. XL) ita explicare conatur: „postquam pudor puerilis quem secum praetextus amictus ferebat toga virili velatus est". Nimis obscure. Velatus corruptum est; Hertzbergius elatus, sed efferendi verbum, quod legimus apud Liv. XXIV, 22. 17: „periculumque ingens manet nisi paci et concordiae consulitis, ne libera efferatur respublica" nostro loco nimis inflate dictum videtur. Rothsteinius Vahlenum secutus **ablatus**, Heinsii coniecturam, recepit. Mihi Italorum inventum sublatus [1]) maxime placet.

Barthius et Lachmannus, qui versum sic ediderunt: ut mihi praetextae pudor est velatus amictu refutati sunt optima Hertzbergii observatione, praetextam amictui opponi non posse, cum candida toga non magis quam praetexta amictus sit. Corruptela orta est, postquam littera s post t litteram verbi est intercidit: est ublatus, quod *παραδιορθώσει* in uelatus mutatum est.

7. tertius aut multo minus est, cum ducitur annus.

aut: N; lege haut cum O.

[1]) Sic Baehrensius Postgatius Hartmanus.

Pro cum fortasse recte Postgatius iam coniecit.

11. Si verba testis erit Dirce eqs. legimus, quaerimusque, cuiusnam rei Dirce testis esse hoc loco dicatur, nihil in praecedentibus invenire possumus, quocum haec verba coniungere queamus. Quod autem apud Rothsteinium legimus: Dirke ist nicht Zeugin für das, was der Dichter eben gesagt hat, sondern sie ist sine Warnerin für die angeredete Geliebte, indem sie durch ihr Schicksal Zeugnis dafür ablegt, dass eifersüchtige Grausamkeit ein schlimmes Ende nehmen kann", nequaquam mihi persuasit. Si usquam, hoc loco transpositione opus est. Fischeri autem coniectura [1]) elegia in integrum restituitur: is ponit 45 46. 43. 44 ante versum 11; quae Otto (Versumstell. I p. 23) contra hanc transpositionem affert, parvi momenti sunt; sic enim scribit: „Schon die veränderte Stellung der beiden Gedanken an sich ist nicht unbedenklich, schwerer wiegt, dass so lange überhaupt an einem Zusammenhange zwischen diesen zwei Verspaaren festgehalten wird, die alte Folge viel einfacher und natürlicher, die neue hingegen höchst gezwungen und künstlich ist: „Höre auf, die unschuldige Lycinna zu quälen, denn nie werde ich dir Veranlassung zum Verdachte geben". Fateor me non intelligere, quid artificiosi sit in sententiarum ordine, si cum Fischero et Baehrensio disticha sic transponimus:

fabula nulla tuas de nobis concitet auris:
  te solam et lignis funeris ustus amem.
at tu non meritam parcas vexare Lycinnam:
  nescit vestra ruens ira referre pedem.

Post ea, quae citavi, haec addit doctissimus: „Auch die Konjunktive concitet und amem harmonieren nicht mit den vorhergehenden Perfectis".

Hi coniunctivi autem pro futuris sunt, ut saepius apud nostrum cf. Rothsteinius ad I. 4. 8, ubi ego tamen sinat alio modo

[1]) de quibusdam locis Prop. p. 28.

explicavi. Reicio igitur ipsius Ottonis [1]) transpositionem, qui 45. 46 post versum 2 transponere vult, 43. 44 post 10.

Pro v e r o cum viro docto R. Franz restituo v a n o, cf. III, 13, 59.

13. A quotiens pulchros ussit regina capillos
Absurdissimum vitium hic versus contraxit, quod Broukhusius defendere conatur allatis duobus his locis Tibulli: I, 10, 37:

illic percussisque genis ustoque capillo
errat ad obscuros pallida turba lacus

et I, 9, 21: Ure meum potius flamma caput et pete ferro
corpus et intorto verbere terga seca,

sed recte de his locis iudicat Risbergius (Emendat. et explicat. Prop. p. 40): hic locus praebet rhetoricam quandam exaggerationem neque quicquam probare potest, ille vero videtur in aliam sententiam accipiendus esse".

Is autem aliam viam ingressus u r e r e nostro loco idem valere contendit atque c r u c i a r e, quam significationem habet IV, 3, 23:

Dic mihi, num teneros urit lorica lacertos?

Sed de c o m a verbum u r e n d i eo sensu quo vult Risbergius nimis esset ambigue obscureque dictum. Sed alium etiam locum adfert, Ov. A. I, 14. 23 sq.:

Cum graciles essent tamen et lanuginis instar,
heu, male vexatae quanta tulere comae!
Quam se praebuerant ferro patienter et igni,
ut fierit torto nexilis orbe sinus!
Clamabam: „scelus est istos, scelus urere crines"!

Quem locum quomodo citare potuerit, me fallit, nam quis non videt hoc loco Ovidiano sermonem esse de c r i n i b u s c a l a m i s t r a t i s! Quid legendum esset, multo ante intellexit Robertus Titius, qui v u l s i t legit.

29. Qui miratur poetam, postquam Zethum quidem durum, sed Amphionem lacrimis mollem nominarit, versu 35 dicere: „natis

[1]) Sic Postgatius quoque in editione 1894.

est cognitus error", cum hoc de Zetho solo dictum exspectemus, comparet haec ex Hygino 9: „devenit ad filios suos, ex quibus Zethus existimans fugitivam non recepit". Deinde idem narrat haec: „sed ab educatore pastore adulescentes certiores facti eam esse matrem, celeriter consecuti matrem eripuerunt".

31—34. ac veluti, magnos cum ponunt aequora motus,
eurus in adversos desinit ire Notos,
litore sic tacito sonitus rarescit harenae;
sic cadit inflexo lapsa puella genu.

Versu 35 vulgo recipiunt Lachmanni coniecturam:

eurus ubi adverso desinit ire Noto,

qui profectus est a Neapolitani corrupta lectione:

eurus sub adverso desinit ire Noto,

neque iniuria: facilius enim intelligimus lectionem O

eurus in adversos desinit ire Notos

coniecturam esse pro corruptis verbis Neapolitani quam Neapolitani lectionem ex verbis, quae O servaverit, ortam esse. Praeterea displicet in lectione O, quod verba magnos cum ponunt aequora motus causam dare videntur, cur Eurus in adversos Notos desinat ire.

Versu 33 sic duobis modis explicatur: alii putant a voce sic secundum incipere comparationis, contra quam explicationem recte observat vir doctus Nairn (CR. XIII, p. 201): „the virtue of 31. 32 is in great measure lost if they are to be compared to another aspect of nature". Alii sic (versu 33) interpretantur in hac rerum condicione; sed hanc interpretationem improbavit iam Keilius (Observationes crit. in Prop. 1843, p. 16): „sic si scribis, inquit, „ut ratio significetur, qua fiat, ut sonitus rarescat, ... magnopere id languet post positam in priore enuntiati membro cum particulam, nec intelligi a quoquam poterit". Contra eos, qui ex Italorum coniectura pro sic edunt si, idem Keilius disputat in hunc modum: „si

scribis si altera ratione quae Hertzbergii est qui sic verba vertit: „Dann wie nach tobendem Schwall die Woge des Meeres sich leget — Eurus rastet in Kampf gegen den rasenden Süd — Wenn am schweigenden Strand nur leise noch murmeln die Dünen", litoris silentium, quod aquis compositis fit, inepte causa huius rei dicitur, altera ratio, ut ac veluti rarescit interpositis duabus sententiis, cum.... ponunt et ubi.... desinit, coniungatur, artificiosior est quam quae tribui poetae queat". Non tamen pro sic cum Liveneio et Keilio sub scribere velim, neque cum Baehrensio litoreque in, (sic enim versus 33 cum 32 coniungeretur, cum versus 33 versui 31 adnectendus esset), sed cum Nairnio (l.l.) pro sic tacito repono sollicito, cf. Georg. IV. 262: ut mare sollicitum stridit refluentibus undis. Restat, ut moneam sublatam Antiopae calamitatem cum undis sedatis comparari: totus igitur locus sic scribatur:

ac veluti, magnos cum ponunt aequora motus,
   Eurus ubi adverso desinit ire Noto,
litore sollicito sonitus rarescit harenae,
   sic, cadit [1]) ut flexo [2]) lapsa puella genu,
sera tamen pietas natis et [3]) cognitus error.

41. Prata cruentantur Zethi victorque canebat
   Paeana Amphion rupe, Aracynthe, tua

Prata Zethi frigere iure observat Heynius ad Verg. ecl. II, 23; equidem cum Italis Zetho legendum esse censeo.

ELEGIA XVI.

4. Iniuria spernunt Rothstein et Phillimore lympha quod correxit altera manus in codice F.

---

[1]) nisi forte praestat pro cadit cum Baehrensio adit scribere.

[2]) ut pro in(flexo) cum Jacobo.

[3]) sic Itali pro et.

9. Peccaram semel, et totum sum portus in annum

Sic N; pro voce nihili portus in DVFL legimus pulsus, quae me iudice lectio archetypi est in N corrupta. Falso viri docti hic, ubi codices ipsi verum praebent, ad coniecturas confugerunt (tusus vel optusus Palmer JPh. XV, p. 143 quod pulsus non respondet versui decimo; Phillimore postus).

14. Post hunc versum cum Struchtmeyero (Animadv. cr. lib. II) inserendi sunt versus 19 et 20, quod nemo praeter Ottonem Baehrensium Postgatium Hartmanum intellexit.

16. Pro percutit cum Guyto praecutit [1]) legendum est, cf. Ov. Met. IV, 759.

20. exclusis fit comes ipsa Venus.

Iure Vahlenus voci exclusis crucem adponit, nam cui persuadeatur a Rothsteinio, qui exclusis sanum ducens in hunc modum defendere conatur: „Für den allgemeinen Begriff des Liebhabers, den man hier erwartet, tritt der besondere des exclusus amator ein, der in besonders hohem Masse den Gefahren der Nacht ausgesetzt ist".

Hertzbergius explicat: „exclusis commercio hominum"; excluditur tamen is tantum, qui a puella non admittitur. Solemnis est huius vocabuli vis.

Fischer coniecit ecce suis, qui deinde versus cum Struchtmeyero post 14 transposuit.

Equidem cum Palmero (CR II, p. 39) [2]) legere velim:

sanguine tam parvo quis enim spargatur amantis
improbus, et cuius sit comes ipsa Venus.

Pro parvo L. Muellerus recepit Fischeri coniecturam puro; neque tamen recte; Germanice vertas: das Bischen Blut.

---

[1]) Idem pleonasmus (praecutit ante): II, 3, 50 dehinc domiti posthaec aequa et iniqua ferunt.

[2]) Sic quoque Postgatius (1894).

23. adferet huc unguenta mihi....
Iniuria Paley et Phillimore Guyeti coniecturam *haec* spreverunt. *Huc*, sc. *ad funera*, adnotat Paley; sed sic pronominis usus insolens est, subiecto verbi *adferet* aegre caremus.

29. Versum sic lego:

aut humer ignotae cumulis vallatus harenae.

ELEGIA XVII.

2. Pro *placato* cum Postgatio scribo *placatus*, cf. CR. XV, p. 408.

7. De Burmanni coniectura *amoris* pro *in astris* confer Lachmannum ad hunc versum (ed. 1816, p. 304).

12. spesque timorque animo versat utroque modo
Sic O, quod diversis modis corrigunt viri docti:
Lachmannus: spesque timorque animum versat utroque meum
Baehrensius: „ „ „ „ utrimque „
Housmanus (JPh. XVI, p. 11) spesque timorque animae versat utroque modo, iungens *animae modo* i. e. venti instar: obscure atque parum venuste.
Ego propono Heinsii et Baehrensii inventis usus:

spesque timorque animos versat utroque malus.

Mirum est Rothsteinium vulgatam, quam ipse languidam habet, manuscriptis aperte (*animo* enim utique mutandum) corruptis, intactam relinquere hac explicatione contentum: „das wenig anschauliche *utroque modo* nimmt den Begriff von *spesque timorque* noch einmal auf."

24. Pentheos in triplices funera grata greges.
Membra lacerata et divisa esse hic memorari exspectamus; haec tamen voce *grata in* exprimi nequit. Cum Postgatio et Hartmano ex Passeratii coniectura *rapta* reponendum est.

17. dum modo purpureo + numen mihi dolia musto

Plerique editores pro voce corrupta numen, quod legitur in NDV, cum Italis corrigunt spument. Haec coniectura tamen non curat lttterarum ductus, quam ob rem Postgatius coniecit (CR. XV, p. 409) cumulem comparato Ov. Tr. III, 10, 71:

non hic pampinea dulcis latet uva sub umbra,
non cumulant altos fervida musta lacus.

Cum tamen, ut ipse sensit, prima persona cumulem hic minus placeat, etiam cumulet proponit, ita, ut uva subiectum sit, quod mihi prorsus non arridet.

Quid legendum esset, primus [1]) mortalium perspexit Phillimorius qui suam emendationem tumeant defendit comparato hoc loco ex Aetn. 271:

horrea uti satura et tumeant ut dolia musto.

27. et tibi per mediam bene olentia flumina Naxon

Durissimum est, quod verbum esse, fuisse hic omittitur, quam ob rem fortasse pro Naxon cum Baehrensio legendum est nasci; hac coniectura assumpta mediam corruptum sit necesse est; accedit quod mediam et aliam ob causam surspectum est: nam flumina per mediam Naxon oriri vix intelligimus, si cum Rothsteinio „omnibus spectantibus" explicamus. Fortasse igitur, nam certa haec correctio mihi non videtur, versus ita edendus est:

et tibi per Diam bene olentia flumina nasci

et sic Hartmano quoque videtur. Diam coniectura est Palmeri (Ha. I, p. 162.)

33. mollia Dircaeae pulsabunt tympana Thebae,
capripedes calamo Panes hiante canent,
35. vertice turrigero iuxta dea magna Cybelle
tundet [2]) ad Idaeos cymbala rauca choros.

---

[1]) Postea idem coniecit Postgatius.

[2]) Sic recte Scaliger pro fundet.

Burmannus, cui Lachmannus et Postgatius (in editione anni 1894) adstipulantur, voces tympana v. 33 et cymbala v. 36 locum mutare iussit, non recte ut Hertzbergius docet.

37. 38. ante fores templi crater, antistitis auro
libatum fundens in tua sacra merum

Mire dictum: crater merum fundit sacerdotis auro (Rothst.) vel: crater antistitis auro (sc. factus erit) merum fundens (Paley). Ego assentior Hartmano scribendum esse cum Heinsio:

anta fores templi cratere antistes et auro
libatum eqs.

Lenissima correctio, cum t et s litterae transpositae sint. (i et e saepissime confunduntur).

ELEGIA XVIII.

1. Qui initium huius carminis perleget, mirabitur nomen Claudii Marcelli, in cuius honorem pulcherrima haec nenia scripta est, nusquam inveniri, neque iniuria mirabitur, nam carmina veterum carebant inscriptionibus, quibus utuntur nostrae aetatis poetae. Accedit alia difficultas: fumida Baiarum stagna non potest haberi pro appositione vocabuli pontus.
Quae incommoda omnia tolluntur, si cum Hartmano versum sic emendamus:

Claudius umbroso qua tundit pontus Averno
fumida Baiarum stagna tepentis aquae.

2. Umida cum substantivo stagna iunctum epitheton superfluum esse intellexit Scaliger, qui fumida coniecit, cf. Hertzbergium.

3. hic ubi mortales dexter cum quaereret urbes
dexter NFL; dextra DV.
Lectionem DV receperunt Postgatius et Baehrensius; dextra urbes quaerere a Barthio explicatur: „vi et armis domare urbes

et acquirere". Sed dexter melior lectio est: pentameter enim docet non de Hercule, sed de Baccho sermonem esse: Bacchum autem dextra usum esse absurdum est; et praeterea dexter quod optimus dat codex suam habet explicationem, cum dexter hic idem sit atque propitius, bono animo.

9. his pressus Stygias vultum demisit in undas.
Quid hoc loco sibi velit pronomen his, quaeritur; Postgatius (Select. El. p. 183) interpretatur: „these malific influences", alii supplent stagnis, quod nimis remotum. Nisi quis autem locum cum Postgatio interpretari volet, his ad vocem Baiae pertinere credet; sic tamen in vestro lacu[1]) minus facile explicatur, quibus argumentis adducor, ut cum Guyeto, quem ipse Postgatius in editione 1894 secutus est, reponam: hic.

21. sed tamen hoc omnes, huc primus et ultimus ordo.
Sic versus legitur in O.
Variae coniecturae ad haec emendanda proposita sunt; Beroaldus: sed tamen huc omnes, huc primus et ultimus ordo; Heinsius versum refinxit: tendimus huc omnes, huc etc. Lachmannus: sed tamen hoc omnes, hoc primus et ultimus ordo. Eum secutus est Baehrensius.
Housmanus (JPh. XVI, p. 11): sed manet[2]) hoc omnes, huc primus et ultimus imus.
Si versu 11 sed tamen hoc omnes legimus, ad hoc supplendum est cum Lachmanno: hoc omnes coguntur facere, omnes sua dant ignibus rogalibus; sic tamen evadit sententia inepta: omnes coguntur omnia ornamenta, de quibus modo locutus sum, igni urenda dare. Hoc tamen nonnisi de ambitiosis divitioribusque dici potest.

---

[1]) Sperno igitur coniecturas Housmani (JPh. XVI, p. 11): inferno, Paleyi JPh. XVI, p. 188): infesto.
[2]) sic iam A. Palmer.

Quid poeta sibi voluerit, optime intelligitur, si eius sententiam sic enarramus: „I nunc, ambitiose, exclamat, tolle animos, fac omnia, ut honore afficiaris quam maximo: mox mortuus eris; sed non solum gloriae potentiae opum appetentibus moriendum: omnibus instat mors acerba, primis et ultimis"; vides primum ordinem primo loco nominari, quippe modo de ambitiosis hominibus locutus est poeta, quas hoc versu primos appellat; sic iam apparet sed tamen optime se habere, neque hoc esse legendum. Leni correctione Beroaldi restituendum est:

sed tamen huc omnes, huc primus et ultimus ordo.

Quid huc significet, contextus docet: tales ellipses nostrum in diliciis habere vix est, quod moneam.

34. scandenda est torvi publica cumba senis

Pro torvi, quod in V ex correctione legitur, O habent torti, Neapolitanus vero troci. Leo, quo auctore A F D V omnino nullius sunt pretii, a Neapolitani lectione profectus pro est torvi conicit atrocis quod tamen longius distat a troci quam torvi. Hic locus igitur argumento esse potest Neapolitanum nonnullis locis corruptiorem esse quam O, quamquam hi loci paucissimi sunt numero.

29. 30. Hoc distichon huc non pertinere Housmano Postgatio aliis assentior.

31. 32. Hoc distichon quomodo legendum esset, optime intellexit Paleyus: at tibi nauta, pias hominum qui traicit umbras,

huc animae portet corpus inane tuae.

ELEGIA XIX.

10. Nequitia, quo modo rapida dici possit, non intelligo; Rothsteinius et Phillimorius Italorum lectionem rabida spernere non debuerant.

17. nam quid Medeae referam, quo tempore matris
iram natorum caede piavit amor?

Cum Baehrensio et Hartmano credo „quo tempore matris" corruptum esse; Rothsteinius „matris amor" coniungit, vertitque „die Mutterliebe hat sich so weit verleugnen können, dass sie in dem Morde der eigenen Kinder eine Sühne für die erlittene Kränkung fand". De amore erga maritum de quo poeta hic agit, nihil legimus. Melius Spurius Bases m a t r i s a m o r intelligit amor Medeae in Iasonem; sed neque haec explicatio, neque Baehrensii coniectura incertissima

nam quid Medeae referam concepta? mariti
iram etc.

neque quod Palmer proposuit et Postgatius assumpsit:

nam quid Medeae referam quo pectore matris
iram etc.

placet; ego propono:

nam quid Medeam referam quo tempore l a e s u s
iram natorum caede piavit amor.

19. Pro C l y t a e m e s t r a e cum Guyeto C l y t a e m e s t r a m repono.

21. tuque o Minoa venumdata, Scylla, figura

Heimreichius p e s s u m d a t a coniecit, quod placet Baehrensio. Nonne praestat versum sic legere:

tuque o M i n o a e venundate, Scylla, f i g u r a e, i.e. quod se ipsa Minoi venumdedit, quae eius captiva vel serva facta est.

21. 22. tuque, o Minoa venumdata, Scylla, figura,
tondens purpurea regna paterna coma.

Durissimum, cum q u i d r e f e r a m praecedat, cum Rothsteinio t e s t i s e s t supplere; ut hoc incommodum tollatur, aut cum Keilio t o n d e s scribere potes, aut versus 15. 16 post 20 cum Postgatio (in edit. 1894) transponendi sunt. Similitudine versuum 15. 16 et 21. 22 adductus Postgatii opinionem veram esse credo. Hoc quoque loco duo disticha sede pulsa sunt.

27. Non tamen immerito! Minos sedet arbiter Orci.

Sic versum interpungunt Rothsteinius et Phillimorius quorum ille locum sic interpretatur: „so grausam die Strafe war, so war sie doch nicht ungerecht, und zum Lohn für die Strenge, mit der Minos auch das an einem Feinde verübte Verbrechen bestraft hat ist Minos Richter in der Unterwelt geworden".

Obscurissime enuntiatum, si Rothsteinii lectionem explicationemque probamus. Quadamtenus tamen intelligere possumus Propertium haec scribere potuisse, quoniam Rothsteinius satis multa, ut legenti subveniat, supplet. Quis autem nudam versionem intelligere potest, qualem dedit Phillimorius: „See the damsel is slung and dragged astern of the Cretan bark. Not without good causa though! Minos gives judgment on the bench of Orcus. As a conqueror he dealt justly with his foe nevertheless."?

Baehrensius vitium haerere sentiens non etenim immerito proposuit, quod magis placet quam Housmani transpositio, qua versus 25. 26 et 27. 28 inter se transponuntur.

ELEGIA XX.

Cum pulcherrimum hoc carmen ordine turbato traditum sit, antequam de singulis locis difficilioribus loquar, de summa totius agam.

Quamquam Lachmannus Scaligeri coniecturam versus 11. 12 post 14 transponentis verissimam nominavit, neque necessarium habuit transpositionem illam novis confirmare argumentis, Rothsteinius et Phillimorius ordinem traditum integrum putant. Sed unusquisque videt inde a versu 13: „nox mihi prima venit" poetam voti sui compotem esse, et nunc demum lunam et solem invocare. Praeterea vocabulum quoque tum demum recte adhibetur de sole, cum de luna mentio iam facta est.

Sed lege mihi Rothsteinii adnotationem: „die Geliebte soll sich dem Dichter hingeben, in seine Arme eilen; aber auch Sonne und Mond sollen ihn begünstigen eqs".

Alia tamen apud ipsum Propertium legimus. Is enim fingit se miserere puellae ab amante vel coniuge relictae: „tu, pulcherrima, non digna es, quae deseraris; nam omnia in te sunt, quae deceant feminam: unum tibi deest: domus fortunata, veni igitur ad me, ego tibi fidus ero"; contextus vetat nos Rothsteinium sequi; non rogat poeta, ut puella sibi faveat; ipse se puellam beatam redditurum spondet. Hertzbergium autem, qui exclamat: „quis immanem illum *ἀναχρονισμόν* aequo animo tulerit, ut poeta primum interdiu lunam advocet, deinde ad Phoebum conversus, ut illi loco cedat, precatur?" bene refutat vir doctus Otto (Versumst. I p. 24) his verbis: „Hertzberg hätte recht, wenn die Bitte an Phoebus sich auf denselben Tag und nicht vielmehr auf den folgenden Morgen bezöge".

Sed alia difficultas restat. Nam fere omnes editores sequentes carminis versus, quomodo cohaereant, explicari putant Iacobi interpretatione, cuius verba hic exscribam:

„Longam exoptat noctem etiam ob eam causam, quia foedera ante gaudia ponenda sunt; haec certissima fore sperat, sed quod magna eis temporis iactura facienda sit, queritur. Sunt tamen necessario icienda: namque ubi non eqs".

Sed quis non videt versum 21, quod a coniunctione n a m incipiat, causam nominare, cur foedera prius pangenda sint: quae tamen Iacobus supplet, ut coniunctioni n a m suam vim reddat: „sunt tamen necessario icienda", ex nihilo ficta sunt. Ergo dubitare non licet, quin Lachmannus [1]) verum viderit, cum versus 19. 20 ante versum 15 insereret. Hac transpositione in textu posita adverbium p r i u s versu 15 suam vim recipit.

Totum autem carmen sic edere velim:

---

[1]) Scaliger versus 19. 20 post 16 transponere voluit; sed Lachmanni transpositio sola vera est, cf. ipsius adnotationem.

Credis eum iam posse tuae meminisse figurae,
  vidisti a lecto quem dare vela tuo?
durus, qui lucro potuit mutare puellam!
  tantine, ut lacrimes, Africa tota fuit?
5. at tu, stulta, deos, tu fingis inania verba:
  forsitan ille alio pectus amore terit.
est tibi forma potens, sunt castae Palladis artes,
  splendidaque a docto fama refulget avo;
fortunata domus, modo sit tibi fidus amicus.
10. fidus ego [1]): in nostros curre, puella, toros.

13. Nox mihi prima venit! primae data tempora noctis:
14. longius in primo, Luna, morare toro;
11. tu quoque, qui aestivos spatiosius exigis ignis,
12. Phoebe, moraturae contrahe lucis iter.
19. quam multae ante meis cedent sermonibus horae,
20. dulcia quam nobis concitet arma Venus!
15. foedera sunt ponenda prius signandaque iura
  et scribenda mihi lex in amore novo.
haec Amor ipse suo constringet pignora signo,
  testis sidereae torta corona deae.
21. namque ubi non certo vincitur foedere lectus,
  non habet ultores nox vigilata deos,
et quibus inposuit, solvit mox vincla libido:
  contineant nobis omina prima fidem.
25. ergo qui tacta sua foedera ruperit ara
  pollueritque novo sacra marita toro,
illi sint quicumque solent in amore dolores,
  et caput argutae praebeat historiae,
nec flenti dominae patefiant nocte fenestrae:
30. semper amet, fructu semper amoris egens.

18. testis sidereae torta corona deae.

---

1) Sic Heinsius pro ero.

torta, pro quo fere omnes cum Italis *tota* legunt, recte defendit Postgatius (JPh. IX, p. 69), cuius adnotationem exscribo: „corona is the coronal of stars, which Night, their Goddess, wears on her brow, and *torta*, an epithet applied properly to chaplets of twisted leaves (cf. torta quercu, Virg. G. I, 349), gives here by a happy touch the scattering of the stars up and down the heavens. cf. Hom. II, 18, 485:
ἐν δὲ τὰ τείρεα πάντα τά τ' οὐρανὸς ἐστεφάνωται et Apoll. Rh. III, 1003.
Restat, ut de iis versibus, quos vitium contraxisse arbitror, quid sentiam, proferam.

4. Hic versus et in Neapolitano et in DVFL corruptus est, cum ille: *tantisne in lacrimis*, ceteri *tantis in lacrimis* praebeant; non tamen dubito, quin Heinsius sua coniectura: *tantine, ut lacrimes, Africa tota fuit?* manum poetae restituerit.

6. Quare hic lectionem codicum DV *terit* pro *terat* veram habeam, explicui ad III, 23, 11.

13. Nox mihi prima venit! primae date tempora noctis.
Recte Itali pro *date* **data** reposuere.

15. *Ponenda*, pro quo Burmannus *pangenda* coniecit, recte defendit Rothsteinius.

17. Cum Beroaldo futurum *constringet* restituendum, cf. versum 19: *cedent*.

24. Non opus est cum Burmanno pro *contineant* **continuent** reponere. *Contineant* enim *in se habeant* significat.

25. ergo qui pactas in foedera ruperit aras.
Varia coniecere viri docti:
ergo qui tactis haec foedera ruperit aris (Burmannus)
ergo pacta suis qui foedera ruperit aris (Baehrensius)

ergo qui tacta sic foedera ruperit ara (Housman JPh. XVI, p. 11)
ergo qui tactas in foedera ruperit aras (Postgatius cum codicibus Passeratii).

Burmanni autem et Baehrensii coniecturae nimis distant a litteris traditis; in Housmani coniectura displicet vox sic; utrum Propertius scribere potuerit tactas aras rumpere, necne pro certo affirmare non audeo; veri simillimum tamen mihi videtur cum Pearsone (CR. IV, p. 130) esse corrigendum:

ergo qui tacta sua foedera ruperit ara.

ELEGIA XXI.

3. Crescit enim assidue spectandi cura puella

spectandi N; spectando FLDV, et sic vulgo recipiunt. Ego a Neapolitani lectione proficiscens cum Burmanno et Hartmano [1]) sic lego:

crescit enim assidue spectanti cura puellam.

5—8. omnia sunt temptata mihi, quacumque fugari
possit: at ex omni me premit ipse deus.
vix tamen aut semel admittit, cum saepe negarit:
seu venit, extremo dormit amica toro.

Sic hi versus leguntur in Neapolitano; pro ipse (v. 6) DV habent ille; pro negarit in DV invenitur negavit. Postgatius versus 7. 8 ante 5 transposuit, quod primo aspectu placet; sin accuratius locum examinas, transpositio non vera videtur. Recte enim Schulzius (Röm. Eleg⁴. p. 175) explicat, quae hoc loco vocabuli tamen vis sit: „und doch, durch alle meine Leiden nicht gerührt, gestattet sie mir nur selten Zutritt".

Pro negarit (N) recipiendum esse negavit (DV) Solbiskyo (De codic. Prop. p. 190) et Postgatio (vid. eius editionem anno 1894 in lucem emissam) assentior.

---

[1]) De Horat. Poeta p. 140.

Mirum esse, si versu octavo amica adiciatur, postquam iam praecedenti versu de ea sermo fuerit, quisque concedet. Scaliger igitur pro amica **amicta** proposuit, quod plerisque placuit. Hertzbergio tamen non persuasit. Is scribit: „Pro amica ingeniose Scaliger amicta. Sed dubitationem movet illud ipse (v. 6) tam brevi intervallo (post v. 4) repetitum, quo idem deus, qui flammas nutrit, simul saevo abstinentiae imperio ipse cruciare amatorem significatur. Itaque quod interpunctione indicavi, subiectum deus etiam per v. 7 pertinere censeo". Sic enim necessario addi novum nominativum amica putat. Nugae! Scribe cum DV ille (cf. III, 10, 28: ille puer) et apparebit Scaligeri coniecturam verissimam esse.
vix tamen aut semel cum Hartmano et Postgatio corrupta habeo; nam, si cum Rothsteinio vix interpretamur non, nihil dicit poeta.
Cornelissenus ingeniose coniecit „bis tamen aut semel". Mihi in mentem venit: vix tamen a semel; idem vitium occurrit II, 3, 45, ubi pro aut mihi eqs: a mihi legendum est.

11. Pro aequore (NLDV) aequora (F) legendum esse non monerem, nisi Phillimorius bonam codicis F lectionem sprevisset.

12. De hoc versu conferenda est optima disputatio viri clarissimi Damsté (Mn. N.S. 26, p. 176 sqq), qui merito reiecit Heinsii coniecturam pari pro pares.

19. deinde per Ionium vectus cum fessa Lechaeo
sedarit placida vela phaselus aqua.
Cum Lechaeo nihil possit esse nisi adiectivum, mare autem, quod Rothsteinius vult, supplere non liceat, scribendum est aut Lechaei cum Guyeto aut Lechaea cum Postgatio. Quare Lechaea verisimilius sit, ipse Postgatius doceat (CR. XV, p. 41).

21. Non necessarium est cum Baehrensio Italorum coniecturam sufferte pro sufferre recipere.

25. Non intelligo, cur Vahlenus Lachmanni argumentis adductus huic sequentique versui crucem apposuerit.
Neque tamen credo vel .... aut satis defendi locis a Schulzio [1]) allatis:
Ov. Met. XV. 600: vos urbe virum prohibete, Quirites,
vel, si dignus erit, gravibus vincite catenis,
aut finite metum fatalis morte tyranni.
Hic locus comparandus est cum Vergilii loco (Aen. VI. 841) ab eodem Schulzio citato, sed iam ab Lachmanno hinc alienus habito. Nam ut apud Vergilium Fabricius et Serranus ut simillimi artius coniunguntur, sic nostro loco duae res inter se opponuntur: tyrannus urbe prohibendus est, vel, quod eodem redit, catenis vincendus, aut acriore supplicio e medio tollendus. Hor. ep. 9. 34 iam ab Lachmanno tractatus est; Prop. II. 2. 6 vel, aut corruptum est, quod ego censeo, aut aliam vim habet (vel = etiam);
Iuvenalis III. 120: Protogenes aliquis vel Diphilus aut Hermarchus; Statius, Silv. III. 5. 20:
quamquam, et si gelidas irem mansurus ad Arctos,
vel super Hesperiae vada caligantia Thules,
aut septemgemini caput haud penetrabile Nili
eodem modo atque locus Ovidianus explicandi sunt; Statius aut ad Arctos vel Thulen iturus est, aut diversa via ad Nilum.
Quamquam igitur Lachmanno concedo vel .... aut defendi non posse, hanc ob causam versus non damno, sed cum L. Muellero corrigo:

illic aut studiis etc.

qui coniecturam suam hisce verbis commendat: „non erit opinor ultimae audaciae pro compendio eius ut reponere ipsum aut,

---

[1]) Römische Elegiker[4], p. 176.

cuius prima littera praecedente i c hausta est (Praefat. p. XXXVIII).

28. Studia .... Platonis; nihil mutandum est, dummodo cum Hertzbergio vertamus: „studia, qualibus Plato vacabat", aut cum Schulzio (l. supra laudato): „die Lehre des Platon".

28. librorumque tuos, docte Menandre, sales
tria sunt, quae faciant, ut dubitare cogamur, an vocabulum librorumque corruptum sit: primum talis enallage: tuos sales librorum nusquam legitur; deinde vox librorum male abundat; tertium persequi sales Latine non dicitur. Fortasse cum Suringario corrigendum est: libaboque, quod L. Muellerus et Hartmanus verum ducunt.

docte Menander de poeta comico non apte dicitur, ut multi concedunt.
Maxime placet Muelleri inventum: scite. Docte mihi ex versu 26 irrepsisse videtur.

ELEGIA XXII.

1. Frigida tam multos placuit tibi Cyzicus annos,
   Tulle, Propontiaca quae fluit isthmos aqua,
3. Dindymus et + sacra fabricata inventa + Cybelle,
   raptorisque tulit qua via Ditis equos?

In versum secundum ineptissimum irrepsit mendum, quid enim hoc est: isthmos fluit aqua? Fonteinius proposuit: qua furit aestus aqua; melius cum Baehrensio corrigas: Propontiaca qua fremit isthmos aqua.
Sequens versus ita corruptus est, ut, quid Propertius ipse scripserit, non iam pro certo dici possit. Collato Strab. XII, p. 575 „*Δίνδυμον .... ἱερὸν ἔχον τῆς Δινδυμήνης μητρὸς θεῶν, ἵδρυμα τῶν Ἀργοναυτῶν*" et Apollon. Rhod. I, 1117:
„*ἔσκε δέ τι στιβαρὸν στύπος ἀμπέλου ἔντροφον ὕλῃ*

πρόχνυ γεράνδρυον· τὸ μὲν ἔκταμον, ὄφρα πέλοιτο
δαίμονος οὐρείης ἱερὸν βρέτας· ἔξεσε δ' Ἄργος
εὐκόσμως καὶ δή μιν ἐπ' ὀκριόεντι κολωνῷ
ἵδρυσαν"

cum Hauptio (index lect. hibern. Berlin. 1854.55 p. 12) restituenda videtur:

Dindymus et sacra fabricata e vite Cybelle;

minus placet Housmani (JPh. XXI, p. 122) coniectura:

Dindymus et sacra fabricata in caute Cybelle,

qua fabricata sic nude positum displicet.

Barton (CR. VII, p. 153) collato Pausania VIII, 46: *Κυζικηνοί τε ἀναγκάσαντες πολέμῳ Προκοννησίους γενέσθαι σφίσι συνοίκους Μητρὸς Δινδυμήνης ἄγαλμα ἔλαβον ἐκ Προκοννήσου· τὸ δὲ ἄγαλμά ἐστι χρυσοῦ, καὶ αὐτοῦ τὸ πρόσωπον ἀντὶ ἐλέφαντος ἵππων τῶν ποταμίων ὀδόντες εἰσὶν εἰργασμένοι,* legit:

Dindymus, et secto fabricata in dente Cybebe.

Sed veri similior Hauptii coniectura.

5. 6. Non est, cur cum Baehrensio si te forte in sic te forte mutato signum interrogationis ponamus. Versu 6 accipienda est Italorum coniectura nec pro et.

13. qua rudis Argoa natat inter saxa columba
in faciem prorae pinus adacta novae

Pro Argoa, quod est in N, Housmanus (JPh. XXI, p. 158) cum libris DVF legere vult Argea: columbam Argi, navis Argus fabricatoris, significari censens, collato II, 26, 39, quo versu Ellisio praeeunte Argo pro dativo nominis Argus habet. Sed si Argea scribemus, multi de urbe Argis, non de Argo cogitabunt; praeterea forma Argoa ut minus nota librariis, facilius corrumpi potuit; recte autem Rothsteinius observat Argoa, quod grammatice ad columba pertineat, logice vocem pinus illustrare.

Servanda igitur Neapolitani lectio.

15. Cum Palmero et Hartmano scribo ex lectione veteris codicis Beroaldi: (Ha, I, p. 168)

si tibi olorigeri visenda est ora Caystri.

19—22. Hi versus male sententiarum seriem interrumpunt; nam post hunc versum:

natura hic posuit, quidquid ubique fuit [1])

miracula terrae Romana exspectamus. Baehrensium igitur verum vidisse credo, cum duo haec disticha post versum 38 transponere vellet. Iure autem observat Otto (Versumst. I, p. 25) substantivum noxa aptius adhiberi, si pertineat ad portenta illa de quibus ante sermo fuit. Cum Baehrensio stant Otto et Hartmanus.

25. Albanus lacus et + socii Nemorensis ab unda +

Francius corrigebat: et socia Nemorensis ab unda; Scaliger: Albanusque lacus socii Nemorensis ab unda; Hertzbergius: Albanusque lacus, socii Nemorensis et unda, qui recte negat lacum Nemorensem Albano aquas suppeditare aut utrumque ab eodem fonte oriri; deinde socius hic propinquus interpretatur. Sed eius coniectura nimis distat a codicibus; pro socii in DV sotiis legitur, quae, ut iure observat Housmanus (JPh. XXI. p. 176), vestigia veri servasse videtur, cum correctio librarii esse non possit, quippe quae nullum praebeat sensum. Ab hac autem lectione profectus vir doctissimus ingeniosissime coniecit:

Albanus lacus et foliis Nemorensis abundans,

cf. Ov. Fast. III, 263: ubi lacus Nemorensis: silva praecinctus opaca pingitur.

---

[1]) fuit, pro quo Heinsius nitet, Baehrensius viget intactum reliqui collato Ov. Art. I. 55.

26. potaque Pollucis nympha salubris equo
Nympha (sic O) absurdissime edit Rothsteinius, cf. Lachmanni annotationem ad II, 32 (Lachm. III, 28), 15. Cum Italis corrige lympha.

28. Itala portentis nec fuit una novis
fuit una O; duas coniecturas proposuerunt Itali: fluit unda aut furit unda; magis placet haec.

35. cornua nec valuit curvare in paelice Iuno
aut faciem turpi dedecorare bove.
Cum Baehrensio corrigo ac, cum de eodem facto sermo sit.

37. Ante hunc versum nonnulla excidisse cum Livineio Muellero Hartmano Baehrensio credo, nam arboreasque, pro quo arboreasve coniecit Lachmannus argumento est non posse suppleri: non valuit adhibere, quae praeterea nimis contorta esset constructio.

41. hic tibi ad eloquium cives
Quid haec verba significent, intelligi nequit. Sedem corruptelae in cives quaesiverunt Itali, quorum coniectura:
hic tibi ad eloquium cursus bonum restituit sensum.
Verisimilior tamen videtur emendatio, quam proposuit Otto [1]) (H. 23, p. 44) eloquium vitiosum esse ratus:
hic tibi ad adloquium cives, i. e. ad adloquendum.

ELEGIA XXIII.

5. illae iam sine me norant placare puellas
Sic codices; neque habeo, cur cum Lachmanno puellam scribam; cf. II, 34, 57:
ut regnem mixtas inter conviva puellas.

[1]) Post eum idem proposuit Housmanus (JPh. XVI, p. 12).

11—15. forsitan haec illis fuerint mandata tabellis:
„irascor, quoniam es, lente, moratus heri.
an tibi nescio quae visa est formosior? an tu
non bona de nobis crimina ficta iacis?"
aut dixit „venies hodie, cessabimus una".

Pro Neapolitani lectione fuerint O habent fuerant; hic tamen, quamquam plerique editores Baehrensio defensore codicum O non excepto Neapolitanum sequuntur, cum Housmano (JPh. XXI, p. 158) et Postgatio O aut verum aut saltem vestigia veri prae N servasse mihi persuasum est.

Nam duobus locis apud nostrum forsitan cum indicativo adhiberi II, 9. 22; 15, 54, tertio (III, 20, 6) codices inter se differre recte observat Housmanus: nostro loco versus 15 aut dixit docet in versu 11 quoque indicativum requiri; scribo igitur fuerunt, quod, ut saepissime accidit, in plerique codicibus in fuerant corruptum est propter ĕ breve.

Neapolitanus autem, ut III, 20, 6 usitatiorem coniunctivum reposuit.

13. 14. an tu
non bona de nobis crimina ficta iacis?

Sic scribunt Rothsteinius et Phillimorius cum O. Soloece: „non bona crimina ficta"; melius Itali: non bene de nobis crimina f. i.

17. et quaecumque dolens reperit non stulta puella,
garrula cum blandis ducitur hora dolis

De sententia horum versuum annotat Rothsteinius: „um sich den möglichen Inhalt des verlorenen Liebesbriefes auszumalen, benutzt der Dichter die Vorstellung eines Zusammenseins zweier Liebenden, bei dem das Mädchen bemüht ist, den Mann durch geschickte Benutzung aller Mittel (non stulta, blandis dolis) zu fesseln, durch Schmollen über seine Gleichgültigkeit (dolens) und durch zärtliches Lie-

besgeplauder (garrula), das die Zeit angenehm vertreibt (hora ducitur).

Non bene intelligo, quid Rothsteinius sibi velit; praesertim verba inter se distantibus litteris impressa mihi obscura sunt; an ita interpretatur locum, ut quaecumque reperit puella, cum eqs. ei sint: et talia verba, qualibus puella utitur, cum — ut unum dem exemplum — tempus ducere conatur? Melius Paley intellexit, quid hic exspectandum esset: she would add „such complimentary expressions as a clever girl can devise when she invites to an interview".

Sed quaecumque demonstrat poetam in universum loqui de iis rebus, quos ante paucis exemplis attigerit. Ducitur praeterea non recte vertit Rothstein, quasi esset fallit.

Apparet igitur dicitur esse legendum cum Italis. Pro dolis cum Fonteinio notis lego (cf. Ov. A. A. III. 624 et vincto blandas sub pede ferre notas).

Dolens[1]) vs. 17, quod Broukhusius probantibus Lachmanno Muellero Vahleno Paleyo Postgatio Palmero in volens mutat, Baehrensius in calens, sanum esse videtur. cf. Rothsteinium supra laudatum. Praeterea Housmano assentior post garrula esse interpungendum.

19. Pro avari; recte Itali avarus.

Iniuria commendat Ellisius (JPh. XV, p. 19):

me miserum, his aliquid rationem scribit avari. Aliquid invenitur in Manuscrupto Bodleano. („purchased by Mr. H. O. Coxe in 1870").

Quid haec lectio significet, non facile intelligeretur nisi ipse Ellisius versionem addidisset: „Some miserly thing writes an account in these tablets".

22. Signa; recte Beroaldus emendavit ligna.

---

[1]) Sic quoque Hartmanus: „als haar de eenzaamheid verdriet".

ELEGIA XXIV.

1. Falsa est ista tuae, mulier, fiducia, formae,
olim oculis nimium facta superba meis.

3. noster amor talis tribuit tibi, Cynthia, laudes:
versibus insignem te pudet esse meis?

Secundum versum corrupte esse traditum docet versus tertius; quid enim hoc est: „oculi mei tibi laudes tribuerunt"? Quis autem locum sic interpretari audet: „oculi mei te adspexerunt, viderunt quam pulchra esses; carmina facere coepi plena laudis et admirationis!" Repone igitur cum Schradero cui iure Hartmanus adstipulatus est (Een en ander over Propertius, p. 8):

olim elegis nimium facta superba meis.

4. In versu quarto delendum est signum interrogationis, quod Otto (H. 23, p. 44) primus addidit, recepit Phillimorius. Veram interpretationem olim dedit Broukhusius: „pudet me quod tu sis facta celebris meis carminibus", cf. Tib. I, 9, 47sq.
quin etiam attonita laudes tibi mente canebam,
at me nunc nostri Pieridumque pudet.

5. 6. mixtam te varia laudavi saepe figura
ut, quod non esses, esse putaret amor

Quamquam mixtam varia figura verti posse a harmony of diverse beauty (cf. II, 3. 9sqq.) Postgatio concedo, coniunctio ut (v. b.) et adverbium totiens argumento sunt olim in versu 5 vocabulum tam fuisse, quam ob causam mihi verisimillima videtur coniectura Phillimorii (CR. XXV, p. 13):

his tam te varia laudavi saepe figura.

quod sic explicat: „sc. his versibus. In these I praised you under so many various styles that my fond fancy deceived itself into imagining you to be what you never were".

9—12. En versus difficillimi, quorum sensum editores non bene ceperunt. Namque plerique viri docti locum sic scripserunt:

quod mihi non patrii poterant avertere amici,
eluere aut vasto Thessala saga mari.
haec ego non ferro, non igne coactus et ipsa
naufragus Aegaea vera fatebar aqua,

Passeratii coniectura vera pro verba et Italorum correctione fatebar pro fatebor usi; deinde sic interpretantur: „neque igni neque ferro tortus neque in naufragii periculo constitutus cogi ante poteram, ut faterer haec vera esse quae nunc dixi: nempe Cynthiam non esse formosam". Hanc explicationem iure improbat vir doctus Risberg (Emendat. et expl. p. 46), cuius verba hic citabo: „ut omittam quod ad et (v. 11) particula negandi audienda est, quomodo potuit naufragio cogi ad fatendum Cynthiam formosam non esse? Immo vero esse eam formosam, sicut dixit I, 17, 16 id ipsum naufragii malum passus: quamvis dura, tamen rara puella fuit. Deinde quam inepte haec (v. 11) explicatur „Cynthiam non esse formosam", cum quod (v. 9) intellegendum videatur „Cynthiam esse formosam" vel amorem meum in Cynthiam". Quid? quod non (non ferro, non igne) de participio coactus revulsum verbo fatebar obtruditur, quasi Propertius dicere vellet, ferrum et ignem esse in se adhibita?"

Aliam viam ingressi sunt Hertzbergius Paleyus Postgatius, qui locum sic scribunt:

Quod mihi non patrii poterant avertere amici,
eluere aut vasto Thessala saga mari,
haec ego, non ferro non igne coactus, et ipsa
naufragus Aegaea verba fatebor aqua,

quod Postgatius (Sel. El. p. 192) sic fere exponit: „Amorem quo neque amici neque saga Thessala me liberare poterant nunc mera verba fuisse fatebor, vel si dii me naufragio affecturi sint".

Neque hac explicatione contentus sum; iure enim rogat idem Risbergius (p. 47): „quomodo poterat Propertius dicere amoris sui furorem verba i. e. nihil veri, speciem tantum atque fraudem fuisse, cum toto animo atque mente eo diutissime imbutum esse notissimum esset. cf. versum qui sequitur 13: „correptus saevo Veneris torrebar aeno". Quas ob causas Risbergius excogitavit novam hanc loci difficillimi lectionem:

quod mihi non patrii poterant avertere amici,
eluere aut vasto Thessala saga mari,
neclego, non ferro non igne coactus et ipsa
naufragus Aegaea (vera fatebor) aqua,

sed huc prorsus non quadrat neglegendi verbum pro omittere, abicere.

Rothsteinius putans prius distichon per se stare, alterum sic legit:

haec ego non ferro non igne coactus — et ipsa
naufragus Aegaea vera fatebar aqua.

Haec autem adnotat: „Feuer und Eisen haben die Macht der Krankheit und des Irrtums so wenig brechen können, wie der Zuspruch der Freunde und die Bemühungen der Zauberinnen, und das ist kein Wunder, da der Dichter selbst in höchster Lebensgefahr als Schiffbrüchiger noch an der guten Meinung von seiner Geliebten festgehalten hat".

Sed durissimum est tam multa post coactus mente supplenda esse: hunc morbum nunc tandem deposui neque recte explicata est vox vera.

Quid igitur? Cum viro docto B. O. Foster (AJPh. XXX, p. 54—60) credo difficultates tolli sic legendo:

quod mihi non patrii poterant avertere amici,
eluere aut vasto Thessala saga mari,
hoc ego, non ferro, non igne coactus, et ipsa
naufragus Aegaea — vera fatebor — aqua.

Is enim totum locum sic Anglice vertit: „what the friends of our house were not able to remove from me, nor Thessalian witch to purge away with the vast sea, that I myself have been able to remove, not under compulsion of knife or cautery, ay, even though I was a castaway — I will confess the truth — in the very Aegean main".

Optime enim Fosterus intellexit versum 12 non spectare elegiam I, 17, quod et in Postgatii et in Rothsteinii interpretatione displicet; haec autem Fosteri verba sunt: „verse 12 cannot well be an allusion to I, 17, because (A) in that earlier poem the scene is laid not in the A e g e a n but in the I o n i a n, and there is there no talk of actual shipwreck, and (B) because it is unlikely that Propertius, in his present bitter mood, would suggest, even ironically that Heaven had once sent a storm to punish his desertion of Cynthia". Idem ante eum iam dixit Risbergius, cuius libellus viro docto Americano ignotus esse videtur; apud Risbergium autem legimus: „A e g a e a a q u a dictum est ut saepius pro m a r e p e r i c u l o s u m, quod hoc mare insulis ac scopulis est plenum tempestatibusque crebrum, cf. Hor. C.- II, 16, 1; III, 29, 62; Claudian. XXI, 287.

Quis vero nescit poetas translate locutos esse de mari procelloso atque de naufragio, cum pericula atque infortunia dicerent? Velut Horatius claro illo carmine Od. I, 13 rei publicae periculum sub imagine tempestatis depingit, quam in ipso mari Aegaeo saevientem facit (v. 19 sq.):

interfusa nitentes
vites aequora Cycladas.

Item Ovidius relegatus naufragium se passum esse queritur saepius, ut ex P. II, 2, 128:

timeo naufragus omne fretum.

Et peculiariter qui amantes infidelitatem puellae cum dolore experti sunt, naufragi vocari possunt, de qua re conferre licet eiusdem Horatii carmen I, 5. Poeta Pyrrham allocutus

heu quotiens fidem
mutatosque deos flebit et aspera
nigris aequora ventis
emirabitur insolens,
qui nunc te fruitur credulus aurea,

confitetur se ipsum

uvida
suspendisse potenti
vestimenta maris deo.

Haud dissimiliter Ovidius de periculis amoris loquitur A. a. I, 411sq:

tunc si quis creditur alto,
vix tenuit lacerae naufraga membra ratis".

Versu 9 mihi recte a Postgatio explicatur: „from me, literally for my benefit, cf. Val. Flacc. III, 491: Pallada .... fallere molitur caroque dolis avertere fratri.

Quod ex poterant avertere verbum ad pronomen ego supplendum est, optime defenditur IV, 11, 79:

et si quid doliturus eris, sine testibus illis (sc. doleto)

quo loco non recipiendam esse Bootii coniecturam fle pro et (Bijdrage tot de Kritiek en verklaring van Propertius' laatste elegie, p. 35) vix est quod moneam. Locis a Fostero allatis adicio III, 21, 33:

seu moriar, fato, non turpi fractus amore,

ubi Vossius et Baehrensius pro seu non recte sic scripserunt.

ELEGIA XXV.

5. Ista sum captus ab arte.

Sic codices. Non debuerunt plerique viri docti spernere Heimreichii coniecturam cautus.

Cynthiam multis cum lacrimis a poeta petiisse ut se amaret nemo contendere audebit. Iure scribit Palmer vir de Propertio optime meritus: „Propertius was captivated by the eyes of Cynthia, it is true, but there were no tears then dimming that bright glance" (Ha. 1874, p. 161). cf. Ov. Rem. Am. 699; Luc. Phars. IV, 409.

9. limina iam nostris valeant lacrimantia verbis

Fuit, cum putarem cum Burmanno esse legendum:

limina iam lacrimis valeant manantia nostris,

quoniam non probabam tales explicationes, quales legimus apud Paleyum: „so concise is the language of our poet, that he may have meant: „lacrimis perfusa inter verba querentis", vel apud Rothsteinium: „lacrimare von Thränen feucht sein".

Nunc verba tradita integra duco et credo [1]) poetam hic alludere ad id, quod memoravit in Monobiblo. Ut enim sequens versus

nec tamen irata ianua fracta manu

comparari potest cum II, 5. 22

nec mea praeclusas fregerit ira fores,

sic nostro loco poeta memor est querelarum illarum ianuae: I. 16. 13:

has inter cogor gravius deflere querellas
supplicis a longis tristior excubiis.

10. Sic construatur versus: „et, manu quamvis irata, tamen non fracta ianua".

Nil opus est Baehrensii (n e c i a m i a m) aut Weidgenii (p. 5: t e m e r e).

---

[1]) Sic iam Postgate (Select El. p. 195).

LIBER IV.

ELEGIA I.

1. Hoc quodcumque vides, hospes, quam maxima Roma est.
quam: O, quod Palmerus et Phillimorius servant; plerique cum Scioppio qua legunt. Quorum ille (Praef. XLV) annotat: sensus est: „Roma quanta est: Rome in all its vast extent". Sed nimis ambiguum hoc esset, cum quam maxima *ὡς μεγίστη* interpretaretur quis.
Lege igitur qua.

4. Euandri profugae concubuere boves
Concubuere a Lachmanno defenditur, sed notio obscena ab hoc loco prorsus aliena est; potior est Broukhusii interpretatio una procubuere; quod ne nimis ambigue dictum videatur, comparari potest IV. 8. 36

unus erat tribus in secreta lectulus herba.
quaeris concubitus? inter utramque fui.

Nostro tamen loco verbum concumbendi multo magis ambiguum est quam IV. 8. 36.
Credo igitur cum Italis Palmero Hartmano: procubuere esse scribendum, quod verbum de bubus sollemne est: Verg. VIII, 82:
candida per silvam cum fetu concolor albo
procubuit viridique in litore conspicitur sus.

9. quo (sic: FLDV, quod N) gradibus eqs.
recte Itali qua.

13. bucina cogebat priscos ad verba Quirites
Heinsius coniecit: ad saepta, sed confer:
Ov. Fast. V, 527: [1]) huic ego iuratus, vobis in verba vocatis,
„coniugio" dixi „sola fruere meo".

15. nec sinuosa cavo pendebant vela theatro.
Baehrensius alto maluit, sed Rothsteinius poetam de cavea cogitare observat.

18. Cum tremeret patrio pendula turba sacro.
Hertzbergius, quem sequitur Rothsteinius, putat hoc versu poetam cogitasse de oscillationibus. Sic tamen fatendum est perobscure pendula turba adhibitum esse. Melius [2]) sensum totius loci Paleyus exponit vertendo: no one then cared to look for foreign gods, when the crowd hung in anxious suspense over their native rites, eqs. Melius Phillimorius quoque, cuius interpretatio haec est: „none studied to go after outlandish gods in those days when the multitude quaked on tiptoe of emotion at the rites of their fathers". Pendula num metu suspensa significare possit dubito; Richards (CR. 13, p. 16) sedula proponit non tamen addens, quo sensu. Verisimilius est, quod Livineius coniecit: credula.

17. nulli cura fuit externos quaerere divos,
cum tremeret patrio pendula turba sacro,
19. annuaque accenso celebrare Parilia faeno,
qualia nunc curto lustra novantur equo.
celebrare: N; celebrate D;
Hi versus, sicut in mss. tradita sunt, hoc tantum significare possunt: nulli cura fuit Parilia celebrare, quod absurdum est, quoniam quisque Parilia celebrabat antiquis his temporibus.
Rothsteinius noto interpretandi modo ex versu 17 verbum positivum excutit: omnibus cura fuit antiquos deos colere.

[1]) quem locum comparat Schippersius, Observ. Crit. p. 4.
[2]) Melius Plessisius quoque Rev. Ph. XV, p. 42: quand la foule anxieuse attendait l'issue du sacrifice national.

Frustra, [1]) nam in textu tradito nihil legentem docet hoc poetam sibi voluisse. Cuius rei Passeratii interpretatio testis sit. Is enim alterum distichon ad n u l l i c u r a referens ita interpretatur: „et nulli tunc erat curae tam magnifica celebrare Parilia structo igne ex faeno".

Contorta Plessisii quoque explicatio (Rev. Ph. XV, p. 43), qui coniungens P a r i l i a a c c e n s o f a e n o sic interpretatur: „Nul ne se souciait d'aller chercher des divinités étrangères, quand la foule tremblante d'anxiété assistait au sacrifice de ses pères, ni aux Palilies annuelles, quand on allumait de la paille, de célébrer les fêtes comme à présent où l'on purifie avec le sang du cheval mutilé".

Iure igitur Lachmannus „non cohaeret, inquit, nisi c e l e b r a r e pro c e l e b r a v e r e positum velis, qualia nusquam inveniri satis constat".

Schippersius (p. 5) c e l e b r a r e infinitivo modo positum ad t r e m e r e t referendum esse putavit, quo nihil proficimus.

Correctione opus esse credo; Housmanus (JPh. XXII, p. 102)

annuaque accenso celebrante Parilia faeno,

coniecit, cum D ex parte veram lectionem servasse credat; sed f a e n u m subiectum esse verbi c e l e b r a r e mihi non placet, cum vs. 23: l u s t r a b a n t c o m p i t a p o r c i mihi ab hoc loco differre videatur.

Praestat cum Lachmanno et Vahleno versum sic legere:

annua a t accenso celebrare Parilia faeno.

28. miscebant usta proelia nuda sude

n u d a: N; f a c t a: ceteri, unde Baehrensius f i c t a, sed n u d a ante s u d e excidit, lacunaque infeliciter expleta est. Ad defendendum n u d a citavit Passeratius: Stat. Theb. I. 413 exsertare umeros nudamque lacessere pugnam, Housmanus (JPh. XXI, p. 132):

---

[1]) Ipse Phillimorius ad coniecturam confugit, conicitque: c e l e b r a t a.

Sil. VI. 46 abstulerat fors arma: tamen certamine nudo
invenit Marti telum dolor.

29. Prima galeritus posuit praetoria Lygmon,
magnaque pars Tatio rerum erat inter oves.

Inter hos duos versus, qui in O cohaerent, interstitium posuit Lachmannus, quem Baehrensius secutus est. Iniuria, nam primum antiqua gens cuius Tatius rex erat opponitur advenis Tuscis, deinde duo versus aliquid commune habent quod eos iungit: ut Lygmon rustico galero tectus erat, sic Tatius dux celeberrimus simul pastor erat.

31. hinc Titiens Ramnesque viri Luceresque coloni

Pro coloni (O) N habet soloni quod Dieterich (RhMPh., NF 55, p. 201) defendit collato Dion. Halic. II, 37, 2 *ἧκε δὲ αὐτῷ Τυρρηνῶν ἐπικουρίαν ἱκανὴν ἄγων ἐκ Σολωνίου πόλεως ἀνὴρ δραστήριος καὶ τὰ πολέμια διαφανής, Λυκόμων ὄνομα.* Recte, ut opinor; Solonius enim adiectivum esse potest, cf. Liv. VIII, 12: Antiates in agrum Ostiensem, Ardeatem, Solonium incursiones fecerunt.

Nominativum pluralem in i pro ii exeuntem apud Propertium reperiri posse docet huius elegiae versus 34:

et, qui nunc nulli, maxima turba Gabi.

Venimus nunc ad novas atque maiores difficultates; postquam enim Lachmannus in sua editione anno 1816 edita nostrum quartum librum fragmenta rudia et indigesta ab amicis edita habuit, Lütjohann et Voigt ordinem versuum accurate examinavere, qui tamen ad diversissimos exitus pervenerunt. Deinde Brandtius satis prudenter, sed summatim tantum, hanc quaestionem tractavit, nec non praetereundus est vir doctissimus Otto,[1]) cuius observationes epicriticae dignissimae sunt, quae perpendantur. Neque tamen litem diremptam esse patet, si recentissimae editiones inter se comparantur.

---

[1]) Commentationes Philologae in hon. A. Reifferscheidii, Vratislaviae, apud G. Koebnerum, 1884.

Si videmus, quomodo Postgatius in editione 1894 nostrum carmen ediderit, non supervacuum videtur citare iudicium, quod Büchelerus (RhM. XXXIX, p. 426) de transpositionibus audacissimis priorum virorum doctorum tulit: „Nach Erfindung und Behandlung, durch die Verknüpfung von Sachlichem und Persönlichem, Vergangenheit und Gegenwart, Rom und Ausland, Aetia und Cynthia, von heiligstem Ernst und schalkhaftem Spiel, Pathos und Humor, Humor über sich selbst nicht minder als z. B. den Philister, dessen Cinara ins Kindsbett komt, wie ich denke seinen lyrisch-erotischen Collegen Horaz, ist diese Elegie, die 150 Verse in der Continuität und genau in der Ordnung, welche die Handschriften gewähren, für mich eine der alleroriginellsten und pikantesten Touren, welche die römische Calliope jemals getanzt hat, und mich betrübt geradezu, was in den wiederholten Zerreissungs-, Umstellungs-, Verdächtigungsversuchen sich zeigt, dass noch heute ein solches Gedicht, der Spiritus und Stil des Properz so wenig auf williges Verständnis und poetisch empfänglichen Sinn rechnen kann".

Difficultates incipiunt a versu 33. Eschenburgius de remedio desperans 33—36 interpolatos habuit; eum secutus Housmanus duo illa disticha post IV. 10. 26 transposuit; Postgatius quoque eos uncinis inclusit.

Hertzbergius, — ut primum videamus, quomodo versus damnati explicentur ab iis, qui eos loco suo servant defenduntque — sic interpretatus est: „et erant, quae debellari possent (quippe), propinquae civitates, quae nunc vix comparent, tunc hostes haud spernendi". Rothsteinius haec adnotat: „Schon damals also gab es glänzende Triumphe, trotz der Geringfügigkeit der Macht, die Romulus für seine Kämpfe zur Verfügung stand, aber freilich waren es auch nur kleine Landstädte, gegen die sich die damaligen Kriege richteten".

His atque talibus explicationibus non satis perspicuum est, quid hoc contextu sibi velint verba: „Bovillae minus suburbanae erant, cum Roma nondum magna erat".

Veram interpretationem dedit vir cl. Hartman: „Antiquissimis illis temporibus Romulus triumphavit; quod ne mirum videatur tenendum est complures urbes, quae nunc non iam existant, aut pars Romae factae sint, quarum in numero habendae sunt Bovillae, Romuli aequalibus terras externas fuisse".

Ergo iniuria virum doctum Otto (Comm. in hon. Reiff. p. 11) versum 31.32 post duo illa disticha, de quibus agimus, transponere velle censeo, quamquam cum illo et Hartmano veram duco transpositionem Luc. Muelleri:

quippe suburbanae parva minus urbe Bovillae
ac tibi [1]) Fidenas longa erat isse via,
et stetit Alba potens, albae suis omine nata,
et qui nunc nulli, maxima turba Gabi.

Quomodo ea, quae nunc tractavimus cum sequentibus cohaereant, perspicuum est: Sic antea status rerum erat, nunc Roma tantam habet potentiam, ut vix credas urbam splendidissimam ex tam parva origine natam esse.

Versu 38 cum Baehrensio corrigo: patet pro putet.

Tunc omnia bene procedunt: Felicissime, Troia, penates tuos transtulisti in urbem, quae mox potentissima futura erat, talesque viros latura erat, quales fuerunt Decius Brutus Augustus: et merito felicem habemus hanc terram, quae deos Troianos recepit, nam et Sibylla ipsa Remum iussit auspicato condere urbem et iam Cassandra belli gloriam Romanorum praedixit.

40. Pro heu cum Italis lego en; monstrat enim Poeta nescio cui novae Urbis miracula.

46. Pro vexit cum L. Muellero auxit restituo.

50. Quod attinet ad versum difficillimum 50

dixit Aventino rura pianda Remo,

sine dubio falsae sunt coniecturae Baehrensii

dixit ab eventu verba probanda bono,

---

[1]) Sic Baehrensius.

quae praeterea prorsus non curat litteras traditas, et Housmani: (JPh. XVI, p. 13) dixerat a ventis non rapienda Remo, quae sententia obscure enuntiata huc non pertinet: „si Sibylla revera dixit ad Remum verba non rapienda a ventis". Equidem credo aequi esse consulendam interpretationem, quam dedit Hertzbergius; quare solus Remus a poeta nominetur, idem probabiliter explicat.

57. Hoc versu iniuria nonnulli vocem moenia corruptam duxerunt: moenia namque repetit vocabulum moenia, qua praecedenti versu utitur, cf. arma versu 47, et arma versu 46.

61. Ennius hirsuta cingat sua dicta corona
Hic versus mihi nondum sanatus videtur: Baehrensii coniectura Ennius hirsuta cingat sua tempora oliva prorsus non probabilis. Melius Hetzelius (Beiträge zur Erkl. d. Propert. 1890, p. 44): Ennius hirsuta fundat (vel: pangat) sua dicta corona, hirsuta corona tamquam ablativum qualitatis iungens cum Ennii nomine.

Post 70 Scaliger inseruit versus 87.88. Alii eos post 68 transponunt, ut iam Marcilius ad Horatium voluit. Sed iure suo contra hanc transpositionem Otto (l. l.) observat: „der Fall Troias, die Enstehung Roms, die weithin über die Erde verstreuten Gräber, das sind alles keine Stofte für den, der sich vorgesetzt hat:

sacra diesque et cognomina prisca locorum

zu besingen"; eandem difficultatem sentit Hetzelius (Beiträge zur Erklär. d. Propert. 1890 p. 41). Possis conicere cum viro docto Carutti [1]) totum distichon centonem esse eque textu eiciendum. Confert enim: Ov. Fast. I, 523: victa tamen vinces, eversaque Troia resurges; Prop. II, 27, 6: et maris et terrae caeca pericla viae, sed haec coniectura sine dubio falsa est, cum tales similitudines, ut hodie scimus, nihil demonstrent,

[1]) in editione p. 214.

neque pateat, cur librarius talem versum finxerit. Versus 87.88 autem, ubi nunc legantur, recte legi, suo loco demonstrabo.

Versum 71 Baehrensius scribit

> Quo ruis, imprudens, vage, dicere facta, Properti?

Is recte quidem adnotat: „nuda fata non sunt antiqua populi Romani fata", sed astrologus interpellat poetam, quod novum opus surgere praedicere audeat; fata igitur retinendum.

Rothsteinius non recte interpungit:

> Quo ruis, imprudens, vage? dicere fata Properti?

astrologus Propertium allocutus non dixisset fata Propertii, sed tua fata.

72. De verbo condita conferenda est Rothsteinii adnotatio.

73. Verum restituit Baehrensius: accersis lacrimas cantans [1]).

75. certa feram certis auctoribus, aut ego vates
 nescius aerata signa movere pila.

Pro aut Muellerus et Baehrensius haut legunt, non recte, ut opinor; aut ego i. e. aut crede me nescire astrologiam.

81. Iniuria sprevit Baehrensius optimam Neapolitani lectionem nunc pro in (DF), quam in en mutat.

Post 82 nonnulla excidisse Hartmanus statuit, in quibus verbum legeretur: novi aut simile aliquid, unde accusativi illi signa iterata etc pendebant.

Tyrellius quem secutus est Phillimorius locum corrigi posse ratus mutata interpunctione fallitur auro Iuppiter in parenthesi posuit, accusativosque sequentes a pretium fecere pendere voluit. Sed recte Otto (l. l. p. 14) contra hanc correctionem observat: „die Parenthese ist unstatthaft, da die beiden Sätze pretium fecere deos und fallitur auro Iupiter ganz parallele Gedanken aussprechen, sie ist auch an und für sich zu künstlich".

---

[1]) cf. Callim. Hymn. in Cerer. 18: μὴ μὴ ταῦτα λέγωμες, ἃ δάκρυον ἄγαγε Δηοῖ.

Housmanus (JPh. XVI, p. 13) coniecit:

nunc pretium fecere deos et fallimus auro
(Iuppiter!) obliquae signa iterata rotae,
felicesque Iovis stellas eqs.,

quod Postgatius recepit (in edit. 1894); sed quid hoc est fallere signa, stellas?; praeterea Housmani coniectura assumpta cogimur versus 85. 86 utpote spurios eicere.

Mea sententia locus ita interpungendus est:

di mihi sunt testes non degenerasse propinquos,
inque meis libris nil prius esse fide;
(nunc pretium fecere deos et fallitur auro
Iuppiter) obliquae signa iterata rotae
felicesque Iovis stellas Martisque rapacis
et grave Saturni sidus in omne caput,
quid moveant Pisces animosaque signa Leonis
lotus et Hesperia quid Capricornus aqua
dicam; „Troia cades, et Troica Roma resurges"
et „maris et terrae longa pericla" canam.

Postquam enim Horos contendit in suis libris nil prius esse fide, quod suis temporibus rarum sit, superbe gloriatur se artis suae peritissimum esse: se dicere posse (d i c a m enim non pro f u t u r o habeo, sed pro coniunctivo potentiali), quid praedicant Pisces etc.; accusativi autem s i g n a i t e r a t a, f e l i c e s I o v i s s t e l l a s ab eodem verbo d i c a m pendent, quod per z e u g m a facillime n o v i explicari potest; et si quis minus hoc probet, „loqui possum de s i g n i s i t e r a t i s o b l i q u a e r o t a e" (quod argumentum adhibet ad fidem suam augendam) optimam praebet sententiam. Deinde se non solum res ante actas (Troiae excidium, Aeneae errores), sed etiam Romam resurrecturam canere posse profitetur.

88. Pro s e p u l c h r a cum Schippersio (Observ. Crit, 1818. p. 11sqq.) lego p e r i c l a.

97. fatales pueri, duo funera matris avarae!
L. Muelleri ingeniosam coniecturam Martis avari recipere non audeo, cum versus 90 „illa dabat natis arma vetante deo" satis explicet, cur Propertius Luperci et Galli matrem avaram nominet.

101. Cum Lachmanno legendum: facito votum (ante eum iam Burmannus: votum facito).

106. Cum Turnebo legendum: umbrave quae pro umbraneque quod N habet. Hoc quoque loco Neapolitanus vestigia veri melius servavit quam ceteri codices, qui umbraque ne exhibent.

120. incipe tu lacrimis aequus adesse novis.
Recte fecit Baehrensius quod Marklandi coniecturam tuis pro novis recepit, vid. eius adnotationem in apparatu critico.

121. Umbria te notis antiqua Penatibus edit,
(mentior? an patriae tangitur ora tuae?)
qua nebulosa cavo rorat Mevania campo,
et lacus aestivis intepet Umber aquis

Versu 21 verbum tangitur non recte accipiunt recentiores: nam si totus versus in parenthesi ponitur, id quod plerique viri docti faciunt, explicari debet eo modo quo Paleyus versum interpretatus est: „Am I speaking falsely or do I hit (with my art) the border of your native land?; confert autem: Aesch. Ag. 1194 *ἥμαρτον, ἢ κυρῶ τι, τοξότης τις ὥς.* Sed eam vim non habet tangendi verbum; praeterea oram patriae pro terra patria non recte dictum esse Hertzbergio assentior, qui loci [1]) sententiam optime perspexit: „fines patriae, inquit, vallo Mevanate continguntur". Cancelli igitur delendi sunt, nosterque versus cum sequenti coniungendus.

124. Pro Umber cum Suringaro uber corrigo, nam Umbria qua lacus Umber tepet balbutientis est poeta, ut recte adnotat Baehrensius.

---

[1]) Non necessarium est cum Marklando pro tangitur tenditur reponere.

125. Hunc versum cum Lachmanno lego:

scandentisque Asisi consurgit vertice murus.

Non tamen adstipulor Rothsteinio, qui adnotat: „Vertice ist Dativ der Richtung und bezeichnet den höchsten Punkt des Himmelsgewölbes", (cf. quae ad I, 14, 5 adnotavimus), sed versum interpretor: „ubi in monte murus scandentis Asisii consurgit".

135. at tu finge elegos, fallax opus.

Unde Astrologi sermo denuo incipiat, quaerunt viri docti: Heimreichius Apollinem usque ad versum 146 loqui, usque ad versum 138 putat Luetiohannus (nam versu 139 in iam mutans). Sed ego cum Rothsteinio malo credere Apollinem ipsum loquentem non esse inductum, Horum versu 135 summam totius carminis pronuntiare; sequens enim distichon consilium Hori explicat. Si haec mihi assentieris, etiam intelliges, cur vocabulum fallax, quod Baehrensius et Postgatius (in editione 1894) cum Heinsio in pellax mutant, integrum ducam. Opus enim poetae non ea allaturum, quae ardenter cupiat, sequentibus versibus praedicit astrologus.

139. Versu 139 Luetiohanni [1]) inventum:

nam tibi victrices quascumque in amore parasti

recipere velim.

De reliqua carminis parte brevis esse possum, cum nihil habeam, quod a Phillimorio in his versibus edendis dissentiam. Recipit enim eas coniecturas, de quibus nemo dubitat. Baehrensius, qui versu 142 ut solet, ab O lectione profectus pro nihil premit nil iuvet legit, iam refutatus ab Housmano (JPh. XXI, p. 132).

149. vel tremefacta cavo tellus diducat hiatum

Cum tremefacta cavo pro utero concussa accipere nolim, Italorum coniectura cavo.... hiatu *δείνωσιν* praebere videatur, cum Baehrensio corrigo cavom.... hiatum.

---

[1]) Commentationes Propertianae, p. 11.

ELEGIA II.

Primum statim distichon nobis duas quaestiones criticas solvendas dat. Ante omnia mihi certum est primo versu cum Italis qui pro quid esse scribendum, quod sententiam multo concinniorem praebet.

Qui mirare meas tot in uno corpore formas,
  accipe Vertumni signa paterna dei.

signa paterna: N; signa petenda: FLDV

Lectionem N omnes editores assumpserunt excepto Baehrensio, qui profectus a lectione DV petenda petita correxit; signa paterna quid significet, non ita facile dictu est. Barthius hanc dedit explicationem „disce effigiem antiquam a patribus tributam in patria mea", Paleyus „the proofs of the parentage or paternity i.e. of the native land of the god Vertumnus"; Rothsteinius Barthium secutus est. Sed Barthii Rothsteiniique interpretationi obstat, quod accipe signum durissime dictum est. Usus vocis paterna in quaque harum interpretationum falsus est. Housmanus cui Postgatius assensus est coniecit (JPh. XXI p. 123) regna paterna: „learn the native land of Vertumnus."

Sed non solum de patria Vertumni agit poeta; diversas dei vices atque figuras nominat illustratque.

Quid igitur? Noster locus mihi in eorum numero habendus esse videtur, quo O vestigia veri melius servant quam optimus Neapolitanus. Recte enim Baehrensius emendasse videtur: accipe Vertumni signa petita dei.

Pentametrum ita correctum verto: accipe ea signa ex quibus Vertumnum agnoscere vel cognoscere possis, quippe qui mireris, deum tot formas habere, ut vix scias, utrum Vertumnum videas an alium quendam deum ignotum.

Operae pretium est observare idem vitium reperiri Ov. Art. Am. I, 113:

in medio plausu (plausus tunc arte carebat)
rex populo praedae signa petenda dedit,

ubi Bentleius petita proposuit probantibus Madvigio et Housmano.

8. at postquam ille suis tantum concessit alumnis.
Pro tantum Baehrensius cum Heinsio spatium legit, sed vera est observatio Rothsteinii: „bei tantum concessit wird wieder vorausgesetzt, dass der Angeredete, der vor der Statue steht, den jetzigen Zustand unmittelbar vor sich sieht".

10. Paleyi coniecturam lepidam Vertamnus nostro versu, Vertannus versu 12 non assumendam esse censeo quod Postgatius in carminibus selectis Propertii (Select Eleg.) fecit. Neque enim necessarium est nomen Vertumni prorsus idem esse atque vocabula ex quibus a poeta derivatur; versu 47 Vertumnum sic nominari significat poeta, quod deus se in omnia vertit neque tamen novum hoc nomen Vertomnus diserte additur.

11. 12. seu, quia vertentis fructum praecepimus anni,
Vertumni rursus credidit esse sacrum.

praecipimus: NDV
rursus: O
credidit: O

Pro praecepimus recte praecerpimus restituit Fea in commentario ad Horatium. Quomodo pentameter corrigendus sit, difficilius dictu est. Pro rursus „deteriores" vulgus praebent quibus assentitur Vahlenus vulgus credidit scribens, cui ego cum Hartmano adstipulor.

Post versum 18 inserendi sint versus 41—46 necne dubitant viri docti. Schraderus eos post 18 transponi voluit et Lachmannus quoque intellexit hos versus non bene cum ceteris cohaerere, quamquam nihilo magis Schraderi coniecturam probavit. Vir doctus Otto omnia bene procedere ratus, neque ulla

transpositione opus esse textum traditum hisce argumentis defendit: „Was hinderte den Dichter in der Form der occupatio fortzufahren und gerade die am meisten hervorstechende Function des Gottes, die hier am wenigsten übergangen werden durfte, auszuführen? Eine andere Beobachtung führt zu demselben Resultate. Die in v. 11—18 aufgezählten Früchte sind ganz anderer Art, als die von v. 41 ab genannten cucumis, cucurbita, brassica, flores. Die Letzteren sind recht eigentliche hortorum dona, dahingegen uva varians, coma spicea lactanti fruge tumens, cerasi, autumnalia pruna, aestiva mora höchst bezeichnet gewählt sind für die vertentis anni fructus". Sed enumerare obliviscitur, quae nascantur difficultates si ordinem traditum versuum servare conemur. Nam inde a versibus 21.22:

opportuna mea est cunctis natura figuris:
in quamcumque voles verte, decorus ero

narrat Vertumnus, in quas figuras mutari possit; sex tamen illis versibus nulla formae mutatio describitur, sed verba versus 46: impositus fronti argumento sunt de signo suo deum loqui, de quo etiam versu 17 sermo fuit: (hic = ante meum signum); de munere (Function) hic nihil legimur.

Quod vero Otto observat uvam variantem, comam spiceam lactanti fruge tumentem, cerasos, autumnalia pruna fructus esse vertentis anni, a quibus differant hortorum illa dona, parum haec me movet obiectio, nam initium nam quid ego adiciam satis significat poetam aliquid addere, quod pertineat quidem ad ea, quae praecedunt, sed tamen non prorsus eiusdem sit generis.

19. mendax fama noces: alius mihi nominis index

Lachmannus ad hunc versum adnotat: „Quis ille alius index? Ipse Vertumnus scilicet. Cur igitur tam mire loquitur?"

Contra haec Lachmanni verba primus Schippersius (Observ. Cr. p. 26) nihil absurdi huic loco inesse, neque adeo correctione

a Lachmanno proposita opus esse defendens index hic idem esse ac causa contendit; ut haec legentibus persuadeat, duos locos Ovidii adfert:

Fast. IV, 228: index laetitiae fertur in astra sonus,

et: ex Ponto II, 10, 3: auctorisque sui si non est annulus index;

qui tamen loci prorsus non demonstrare possunt index „causam" esse; nam semper vocabulum index, etiamsi de rebus adhibetur, suam significationem servat ita ut semper et ubique rogare possimus, quis ille index, i. e., quid id sit, quod aliquam rem indicat. Quapropter versus cum Lachmanno sic scribatur:

mendax fama noces, falsa es mihi nominis index.

Pro noces quod est in Neapolitano Housmanus (JPh. XXI, p. 192) cum F voces (= vaces, ut legitur in DV) legere vult; sed nulla re addita vacandi verbum hic nimis obscurum et apud Ovidium, ubi absolute adhibetur, A. II. 2. 2:

dum perago tecum pauca, sed apta, vaca,

non cessare, sed auscultare significat.

22. in quamcumque voles verte, decorus ero.

Quamcumque est optima Neapolitani lectio, Baehrensius a lectione codicum D V F quacumque profectus quascumque coniecit, sed hic quoque N verum prae ceteris servavit.

34. Faunus plumoso sum deus aucupio.

Multi editores hic lectionem D V Faunus receperunt, cum Neapolitanus corrupte Favor, F L sine sensu Faunor darent. Sed primum non intelligimus, si Faunus in archetypo fuerit, quomodo hoc in Faunor aut Favor corrumpi potuerit. „Deinde, ait Rossbergius (Lucubr. Prop. p. 25) verborum plumoso aucupio, cum vix aliud quid esse possint, quam ablativus qualitatis, durissima est structura, praesertim cum nihil poetam impedierit, quominus consueto more genetivum poneret". Scribe igitur cum eo: Fautor.

35. 36. Spurios habet Fonteinius. Fortasse non iniuria; magistelli enim, non poetae, videntur haec:

est etiam aurigae species Vertumnus, et eius
Traicit alterno qui leve pondus equo.

39. pastorem ad baculum possum curare

Curare hic idem esse atque agere, id quod vult Rothsteinius numquam credam; quid reponendum sit, quaeritur; varia enim coniecere viri docti. Itali pro curare curvare reposuere, Waardenburgius pro curare simulare proposuit, Huleatt (JPh. XIII, p. 103): pastor ovem ad baculum possum curare, Housman (JPh. XVI, p. 13): da baculum, pastor me possum ornare. Mihi vera videtur Waardenburgii inventum, quod ipse (Opusc. p. 282) hisce verbis commendat: „Accidisse suspicabar, ut huius verbi litterae priores sim perirent devoratae a praecedente syllaba sum, et quod reliquum erat abiisse in curare".

42. Versu 42 iniuria Luetiohannus pro vocabulo probata, quod exquisita vertam, invenustam coniecturam locata excogitavit.

43. caeruleus cucumis tumidoque cucurbita ventre
me notat et iunco brassica vincta levi.

Notat hic aptissimum esse — idem enim valet atque significat — nemo non videt; iniuria igitur hic quoque Baehrensius optimam Neapolitani lectionem sprevit, sed absurdam codicum O necat in gravat correxit.

47. Pro at mihi exspectamus sic mihi, quod in editore Annii Viterbiensis legitur.

49. et tu, Roma, meis tribuisti praemia Tuscis

Baehrensius cum et, quod est in Neapolitano, more suo sperneret, neque at ceterorum codicum aptum daret sensum, ad inutilem coniecturam ac confugit, iniuria tamen, ut vides.

63. qui me tam docilis potuisti fundere in usus

qui NF; *quod* LDV, ex quo Baehrensius facit: *quot*, sed Neapolitani illud *qui* nihil habet quod offendat; *quod* interpolatum est pro exquisitiore *qui*. Pro *tam docilis* non necesse est cum Hertzbergio conicere: *tot docilem*.

ELEGIA III.

5. Iniuria Baehrensius et Postgatius initio versus *ac* ediderunt, quod D exhibet; lege *aut* cum Neapolitano.

7. te modo viderunt iteratos Bactra per ortus,
   te modo munito Sericus hostis equo

vocabula *Bactra per ortus* non leguntur in Neapolitano, quam ob rem Heimreichius (Quaest. Prop. p. 6) verba addita esse ab interpolatore quodam contendit. Sed suo iure rogat Solbisky (p. 181): „quomodo librarius, si in exemplari suo nihil nisi *te modo viderunt iteratos* invenisset, in voces illas satis quidem quaesitas incidere potuit?" Deinde explicat, qui fiat, ut verba omissa sint in Neapolitano: „omisit autem finem versus, inquit, is, qui N exaravit fortasse propterea, quod offendebat in voce *blactra*, quae in archetypo videtur fuisse". Quaeritur nunc, utrum vocabula explicationem admittant, an corrupte sint tradita. Examinemus interpretationes propositas: Heimreichius qui scripsit, se interdum collato Ov. fast. VI. 199:

mane ubi bis fuerit Phoebusque iteraverit ortus

suspicari hunc sub illis verbis latere sensum: vidisse Lycotam Bactra complures per dies, hanc explicationem ipse reiecit: Lycotam enim complures per annos in orientis regionibus fuisse. Alii cum Barthio interpretantur: *per Orientis nationes ac regiones iterum peragratas* et comparant:
Hor. C. 1. 7. 32, cras ingens iterabimus aequor.
Neque tamen haec explicatio placet: est enim obscurissima.

Verum[1]) iam multo ante invenit Polsterus (Quaest. Prop. specimen p. 7) qui pro iteratos mitratos coniecit, sed nemo vir doctus ei adstipulatus est. Cum autem videamus quamque gentem (Sericus, Getae, Britannia) hoc loco suum epitheton habere, non ineptum videtur Orientis quoque epitheton proprium requirere: hoc autem Polsterus mihi invenisse videtur comparatis loco Propertiano IV, 7, 63:

mitratisque sonant Lydia plectra choris

et Pliniano VI, 28: mitrati Arabes.

8. te modo munitus + hericus hostis equo

Sic versus legitur in NFLV; D habet hernicus.

Munitus iam dudum emendavit Beroaldus munito scribens; pro corrupto hericus Beroaldus Sericus, Iacobus Neuricus proposuit, quod Hertzbergius assumpsit Seres mitem et mollem vitam degisse, neque equitatu ferrato excelluisse ratus.

Sed Hor. C. III. 29. 25sqq.:

tu civitatem quis deceat status
curas et urbi sollicitus times,
quid Seres et regnata Cyro
Bactra parent Tanaisque discors

Beroaldi emendationi maxime favet, quae et arte palaeographica magis commendatur quam Iacobi coniectura.

10. Ustus et Eoa discolor Indus aqua

Ustus discolor a Lachmanno defenditur his exemplis:

Ov. Her. 11, 41:

A! nimium vivax admotis restitit infans
ignibus, et tectus tutus ab hoste fuit,

sed iure reposuere recentiores editores tecto pro tutus, et Lucret. IV, 511.

---

[1]) Alia coniecere: Housmanus (JPh. XXI, p. 162): te modo Ituraeos viderunt Bactra per arcus;
Kühlewein (Festgruss f. Heerw. p. 16) te modo viderunt iteratos Bactra per ictus.

illa tibi est igitur verborum copia cassa
omnis, quae contra sensus instructa parata est,

qui locus per asyndeton explicandus est nihilque prodest. Praeterea magnopere displicet Eoa aqua cum Lachmanno pro ablativo loci acceptum.

Varia coniecere viri docti ustus corruptum habentes: Baehrensius postus, Palmer vastus (sed vide Baehr. in app. cr.) Otto (H. 23, p. 44): pastus; Muellerus in textu posuit Gruteri inventum:

ustus et Eoo decolor Indus equo

cf. III, 13, 16: quos Aurora suis rubra colorat equis.

Sed quamquam ex Ovidii Metamorphoseon versu II, 153 scimus unum ex Solis equis Eoum nominari, non tamen Eous equus pro Sole dictum placet. Housmanus quem secutus est Postgatius in editione sua a. 1894 tunsus coniecit pro ustus, quod de gente dictum minus verisimile videtur. Quid igitur? Me iudice ustus glossema est ad decolor explicandum adscriptum; si hoc verum est, Propertius scribere potuit: accola et Eoae decolor Indus aquae.

Discolor, pro quo Passeratius decolor substituit, tuentur Iacobo praeeunte Vahlenus Rothsteinius Paleyus Phillimorius: discolores enim Indos dici qui tantum a iusto hominum reliquorum colore discrepent.

Sed ii, qui hic discolor defendunt, errant. Namque res ita se habet. Hodierni critici te Hertzbergium consulere iubent. Is autem citat Zingerlingium ad Valer. Flacc. V, 565. Examinemus igitur locos, quos ille vir doctus affert,

Ov. Trist. V, 5, 8: quaeque semel toto vestis mihi sumitur anno
sumatur fatis discolor alba meis

hoc loco contextus docet sermonem esse de veste nigra et tristi;

Hor. ep. I, 18, 3.4: ut matrona meretrici dispar erit atque
discolor, infido scurrae distabit amicus

Val. Flacc. V, 564: variis floret via discolor armis.

Unusquisque videt his locis revera discolor esse legendum: discolor enim est aut quod colore ab alia re differt, dissimilis, aut: varii coloris.

Postquam hos locos citavit, scribit: „his et similibus locis adductus rescribo ex Ms. apud Nasonem, Trist. V, 3, 24

et quascumque bibit discolor Indus aquas".

Deinde nostrum locum affert.

Apud Ovidium Trist. V, 3, 24 optimi codices decolor legunt, quod colore corrupto significat.

Met. IV. 20: decolor extremo qua tinguitur India Gange
Ars. III, 130: quos legit in viridi decolor Indus aqua
Sen. Phaedr. 344: tunc virgatas India tigres
decolor horret

Vides igitur Indum epitheton decolor flagitare; quod argumentum mihi firmissimum videtur ad demonstrandum non Ovidium ex nostro loco Propertiano, sed Propertium ex locis a me citatis esse corrigendum. Siquis tamen est qui nostro loco discolor defendat eo modo, quo vult Hertzbergius, ne obliviscatur omnibus locis, quibus discolor = colore differens, addi rem, abs qua discrepet alia res, fatis discolor, meretrici discolor.

Addatur exemplis a Zingerlingio datis:

Stat. Theb. IX, 338: pelago nec discolor amnis.

Apud Persium V, 52: mille hominum species et rerum discolor usus, discolor absolute quidem adhibitur, sed varius significat.

11. haecne marita fides et + parce avia + noctes.

et parce avia N; hae sunt pactae mihi D V.

Cum codex N hoc loco aperte corrupta praebeat, D V lectio explicari possit, Baehrensium hic iure: hae sunt pactae mihi noctes in textu posuisse putes. Primum tamen non intelligimus, quomodo e codicum D V lectione Neapolitani illud parce avia oriri potuerit, sed praeterea D V lectione assumpta sententia

non congruit [1]), ut recte observavit Housmanus (JPh XXI, p. 148), cum pentametro: „as if the bride who according to her own account dedit bracchia victa urgenti can represent herself as there and then bargaining for noctes". Ipse igitur proponit: haecne marita fides et (primae) praemia noctis, quod mihi praeplacet.

33. noctibus hibernis castrensia pensa laboro
et Tyria in gladios vellera secta suos

Rothsteinii ad hunc locum adnotatio nihil lucis affert; quomodo autem versus emendandus sit, docet Rossbergius (Lucubrat. Prop. p. 27), qui ingeniose pro suos suo restituit:

et Tyria in gladios vellera secta suo,

quod ipse Germanice vertit: „und ich nähe purpurne Lederstreifen für die Schwerter i.e. zu Schwertgurten".

Hanc coniecturam, quam fere omnes editores Phillimorio [2]) excepto spernunt, veram esse docent hi loci:

Verg. Aen XII, 273 sutilis ..... balteus

Prop. IV, 10. 22 praebebant caesi baltea lenta boves,

unde discimus balteos sutiles fuisse eque corio factos.

37. 38. recte a Broukhusio ante versum 35 transpositi sunt.

42. Pro peierat cum Livineio deierat lego; recte enim Broukhusius annotat: „non satis decore dicat Arethusa nutricem suam desiderium languentis dominae periurio solari consuevisse".

37. Cogor, pro quo Broukhusius probante Baehrensio conor, scripsit, non mutandum esse credo. cf. Rothstein. ad I, 1, 7.

47. 48. nec me tardarent Scythiae iuga, cum pater altas
Africus in glaciem frigore nectit aquas.

Pater Africus. Quis verba haec absurda defendere audeat!

---

[1]) Hanc ob causam reiciendae sunt coniecturae Hauptii et pactae in savia noctes, Brandtii et pactae aula mihi noctes (Quaest. Prop. p. 41), Solbiskyi (De Codic. Prop. p. 165) et pactae iam mihi noctes.

[2]) Probavit et Hartmanus.

Si Phillimorium excipimus, nemo, opinor. Sed quidnam scripserit ipse poeta, non tam facile dicas.

Coniecturis, quas Baehrensius in apparatu critico enumerat, addantur Eldikii a Rothsteinio recepta: astricto in glaciem etc. Ellisii (JPh. XV, p. 19) Arcticus, Housmani (JPh. XVI, p. 14) caelicus, Postgatii (in appar. cr. editionis 1894); acrius vel aethrius (aethricus).

Mihi praeplacet Fonteinii coniectura Aeolus, quam Hartmanus quoque commendat; cf. Hor. C. I, 3, 3: ubi Aeolus ventorum pater vocatur; sed pro certo nihil hic statuere possumus.

51. nam mihi quo Poenis + te + purpura fulgeat ostris
crystallusque meas ornet aquosa manus?

Sic locum N exhibet; pro corrupto te FLDV habent tibi; pro meas in FLDV tuas legimus.

Neapolitanum hic verum prae ceteris servasse per se intelligitur: lectio tuas absurda est cf. Housm. JPh. XXI. p. 129. Non tamen cum eo te in nunc[1]) mutandum est, nec cum Heinsio pro te scribendum si, sed cum Thompsonio (CR. XII, p. 407) restituo tua (i. e. a te data).

55. Pro Graucidos, quod est in NL (ceteri Grancidos legunt) Büchelerus (RhMPh. 43, 296) collato Xenoph. Cyn. 7. 5, ubi cani nomen est *Κραυγή* Craugidos proponit, quod aliquanto propius abest a litteris traditis quam Scaligeri coniectura vulgo recepta Glaucidos.

59. Pro tigno Burmannus et Huschkius (Epist. cr. p. 83) tecto legere volunt, sed cf. Hertzbergii adnotationem.

62. Pro lucra fortasse cum Housmano (JPh. XVI, p. 14) et Hartmano lustra legendum.

---

[1]) „nunc is not seldom confused with tunc, and tunc is abbreviated tc̄".

ELEGIA IV.

Qui initium huius carminis legit, non admonitus sine dubio putabit fontem illum ex quo Tarpeia aquam hauriat (versu 15: hinc Tarpeia deae fontem libavit) eundem esse atque eum, de quo praecedenti versu sermo fuerit; si postea commentarios inspiciet, mirabitur sane se errasse: versu enim 15 significare dicunt fontem, de quo poeta versibus 5.6 locutus sit: neque iniuria mirabitur, nam quis unquam credat poetam sine ulla causa elegiae pulcherrimae prooemium tam obscure confuseque scripsisse, ut nemo id enucleet, nisi qui saepius magnaque cum cura, quid poeta sibi vellet, expedire conatus sit.

Hoc tamen non eius est, qui animi relaxandi causa ex carminibus legendis voluptatem capere vult, sed viri docti quemque versum perpendentis atque examinantis. Sed in alia haerebit difficultate; nam quid sit f o n t e m v a l l o c i n g e r e quaeret, ut olim quaesivit Heinsius ille.

Facillima medicina haec omnia sanari possunt, dummodo cum Baehrensio et Hartmano versus 3—6 post 12 transponamus. Assumpta igitur Heinsii coniectura m o n t e m pro f o n t e m hoc nanciscimur elegans initium:

Tarpeium scelus et Tarpeiae turpe sepulcrum
fabor et antiqui limina capta Iovis.
hunc Tatius montem vallo praecingit acerno,
fidaque suggesta castra coronat humo.
quid tum Roma fuit, tubicen vicina Curetis
cum quateret lento murmure saxa Iovis?
murus erant montes: ubi nunc est Curia saepta,
bellicus ex illo fonte bibebat equus,
atque ubi nunc terris dicuntur iura subactis,
stabant Romano pila Sabina foro.
lucus erat felix hederoso conditus antro,
multaque nativis obstrepit arbor aquis,

Silvani ramosa domus, quo dulcis ab aestu
fistula poturas ire iubebat ovis.
hinc Tarpeia deae fontem libavit: at illi
urgebat medium fictilis urna caput.
vidit harenosis Tatium proludere campis
eqs.

Quomodo vocabulum m o n s in f o n s corruptum sit, apparet: primum enim casu quodam illi versus 3—6 loco pristino sunt moti, tum παραδιορθώσει f o n t e m correxit librarius diligentior quam callidior. Protulit tamen vir doctissimus Otto (Comment. in hon. Reifferscheidii p. 18) contra hanc Baehrensii transpositionem argumentum, quod primo aspectu firmissimum videtur; citabo ipsius verba: „V. 7 verändert (Baehrens) f o n t e m mit Heinsius in m o n t e m und will darunter jedenfalls das Capitol verstanden wissen. Ist aber in dem Anfangsdistichon eines Berges gedacht? Augenscheinlich (!) nicht, sondern nur des Tarpeischen Haines, des Grabes der Tarpeja und des Wohnsitzes des Jupiter, der eigentliche B e r g wird nicht genannt". Sed unusquisque Propertii aequalis, qui de l i m i n i b u s a n t i q u i I o v i s [1]) legebat, intelligebat T a r p e i u m s a x u m significari; si igitur poeta sequenti versu vocabulo m o n s utitur, inde non sequitur, ut ipsum hoc vocabulum in praecedentibus quoque legi necesse sit. Immo hoc non elegantis artificis esset. Liceat nunc mihi de ceteris difficultatibus, quibus prooemium nostrum laborat, pauca disputare.

Primum enim vir cl. Hartmanus perspexit versum 1 inepto vitio inquinari: nam cum poeta, postquam narravit, qualis adspectus esset antiquissimae Romae, se ad narrandum accingit, narrare incipit de nemore, ubi Tarpeia primum hostium ducem vidit, utque amore capta urbem suam prodere decernat. Num igitur totum carmen de memore illo agit et quo iure poeta hanc silvam „Tarpeium nemus" vocat? Sic fere disputat Hartmanus in

[1]) „antiqui limina capta Iovis" idem sunt atque mons, de quo versu 93 sermo est.

libello batave scripto (Een en ander over Propertius p. 13) et utique eius emendationem s c e l u s recipiendam esse censeo. Versus 11.12 post 14 transponendos esse mihi cum Baehrensio Ottone (Comment. in hon. Reifferscheidit p. 19) Hartmano persuasum est. Recte enim scribit Otto: „die Worte a t q u e u b i n u n c v. 11 nehmen den gleichen Satzanfang von v. 13 u b i n u n c e s t auf, m u r u s e r a n t m o n t e s v. 13 enthält die Antwort auf die Frage v. 9.10 und knüpft an die Saxa Iovis an und endlich der Indicativ s t a b a n t nach q u a t e r e t wäre auffallend ebenso wie das Fehlen der Conjunction. Auch darf nicht übersehen werden, dass die beiden Gedanken: „Wo jetzt der Welt Recht gesprochen wird, standen die sabinische Krieger" und „Wo jetzt der Curie steht, tränkte der feindliche Reiter sein Ross" eng verwandt sind".

14. bellicus ex illo fonte bibebat equus
Pronomen i l l o, cum non habeat, quo referatur, corruptum habeo; Postgatius in editione 1894 e x i l l o in e x i l i mutat; magis arridet Waardenburgii (Opusc. p. 287) inventum:
bellicus e v i v o fonte bibebat equus.

15. hinc Tarpeia deae fontem libavit
hinc i. e. „ex hoc fonte fontem libavit" absurdum est; cum Italis corrigendum est: h i c.

17. 18. Hoc distichon cum Broukhusio Rossbergio Kraffertio post versum 92 transponendum censeo. Quomodo Tarpeia accusari potest, antequam Tatium vidit?

20. Fortasse cum Hartmano[1]) emendandum:
pictaque per flavas l o r a m o v e r e iubas
cf. Een en ander over Propertius p. 14.

27. Primo fumo; cf. Rothsteinium ad hunc versum.

---

[1]) minus placet Korschii coniectura: (Nord. tidskr. for filol. Ny raekke V 257—279). fictaque per flavas arma movere vias.

29. 30 et sua Tarpeia residens ita flevit ab arce
vulnera, vicino non patienda Iovi.

Baehrensius a lectione O: compatienda profectus comperienda coniecit; sed multo nervosior est lectio Neapolitani: non patienda, quam recte explicat Paleyus: „vulnera non patienda, the wounds of love, which, as they were destined to cause the betrayal of the Arx to the Sabines, were not to be tolerated, *οὐ συγγνωστά* by the god of the neighbouring height, especially in a Vestal".

34. dum captiva mei conspicer esse Tati.

Pro esse utique recipiendam censeo Gronovii coniecturam: ora. Conspicer passive dictum [1]) Varronem et Sallustium decet, redolet enim antiquitatem, apud Propertium non exspectatur.

37. Pro reponet cum Dousa patre restituo reportet, quod et in codicibus Passeratii legebatur, cf. Broukhusium ad hunc versum.

40. candidaque in saevos inguina versa canis.

Cum saevire praecedat, Heinsius malit foedos pro saevos; fortasse recte, sed saepius Propertius eadem verba repetit, cf. I, 2, 9 et 11 et vide nostram ad hunc locum adnotationem.

47. cras, ut rumor ait, tota pugnabitur urbe

Pugnabitur huc non quadrare docent versus 75 et 78. Baehrensius Palmeri coniecturam recepit cessabitur, quae aptam quidem sententiam restituit, neque tamen veri similis est, cum longissime absit a literarum ductibus.

Postgatius praetulit ingeniosam coniecturam viri docti Huleatt (JPh. XIII, p. 303) purgabitur; cf. Ov. Fast. IV, 639 sqq.

igne cremat vitulos quae natu maxima virgo,
luce Palis populos purget ut ille cinis.

---

[1]) Sic explicatur et defenditur Neapolitani scriptura a Rossbergio (Luc. Prop. p. 34).

Sed vereor, ut purgabitur sic nude positum intelligi possit, neque probo Housmani coniecturam: pigrabitur (JPh. XVI, p. 14). Magis placet, quod Rossbergius (Fleckeis. Jahrb. 1883 p. 74) proposuit: potabitur, cf. vs. 75 et 78.

49. 50. lubrica tota via est et perfida: quippe tacentis
fallaci celat limine semper aquas.

Pro tacentis varia coniecere viri docti: Fonteinius calentes Baehrensius iacentes, utroque melius Rossbergius (Fleck. Jahrb. 1883, p. 74) latentes; sed recte se habet vulgata: tacentes aquae i.e. quae non strepitu suo narrant se adesse.

51. Versum recte restituit Baehrensius:

hanc quoque formoso lingua tulisset opem,

nam in praecedentibus quoque monendo lingua Tarpeiae ei opem tulit.

55. sic hospes pariamne tua regina sub aula

Sic versus legitur in N, quod sine ullo dubio corruptum est. Quid restituendum sit, pro certo se scire nemo contendere audebit. Coniecturae propositae enumerantur apud Wittigium (Krit. Bem. zu Prop. Dessau, 1895, p. 8), qui de aliorum inventis prudentissime egit; ipsius Wittigii coniectura: dic, hospes, par eamne tua regina sub aula, mihi non placet propter vocabulum par. Phillimorius in textu posuit: sin, hospes, patria metuar regina sub aula, quam coniecturam laudat vir doctus L. H. Gwynn (Ha. 12, p. 92), sed non intelligo, quid hic sibi velit coniunctio sin. Equidem veram habeo Housmani lectionem (JPh. XXII, p. 90): sic, hospes, spatierne (Heinsius: spatiorne) tua r. s. a., cum pariamne, quod virginis in ore absurdissimum est, sanum esse non possit; pro sic tamen cum Heinsio scribo dic, cum particula sic non habeat, quo commode referatur, neque enim hoc contextu significare potest: „on condition of my betraying Rome".

59. Versum cum Luetiohanno scribo: commissas acies ego possum solvere n u p t a, cf. eius commentat. Propertian. p. 20.

63. Et iam quarta canit venturam bucina lucem.
Pro e t Baehrensius e n edidit, „at hic Tarpeia, inquit Luetiohannus (p. 17), longam suam orationem ipsa abrumpit", neque tamen cum illo s e d scribo, sed a t cum Fonteinio. Pro l a p s a cum V Housmano monente (JPh. XXII, p. 113) l a s s a lego.

67. dixit et incerto permisit bracchia somno.
Vocabulum B r a c c h i a, pro quo Marklandus l u m i n a aut p e c t o r a coniecit non corruptum est, sed b r a c c h i a p e r m i t t e r e, d a r e = s e v i c t u m d a r e, s e d e d e r e hoc loco improprie adhibitum est, cf. IV, 3, 12

cum rudis urgenti bracchia victa dedi.

68. nescia nefariis accubuisse novis
Recte restituit Livineius s e f u r i i s; Vahlenus et Rothsteinius Iacobum secuti v a e f u r i i s scripserunt; sed ista interiectione Propertium non uti observat Luc. Muellerus (Praefat. p. XLIII).

71\. 72. illa ruit, qualis celerem prope Thermodonta
Strymonis abscisso fertur aperta sinu.

Viro docto Otto [1]) (Comment. in hon. Reifferscheidii p. 20) concedo verbum r u e n d i — si sanum est — hoc loco fere idem esse atque f u r e r e. Is autem confert:

III, 15, 44 nescit vestra ruens ira referre pedem
IV, 1, 71 quo ruis imprudens.
Hor. C I, 16, 11sqq. nec tremendo Iuppiter ipse ruens tumultu
Hor. C IV, 4, 7 fervet inmensusque ruit profundo Pindarus ore
Hor. Ep. VII, 1 quo, quo scelisti ruitis?
Serm. I. 7, 26, ruebat flumen ut hibernum

---

[1]) Luetiohannus, qui 71. 72 post 26 transponere voluit, refutatus est ab eodem viro d.

Sed omnibus his locis r u e n d i verbum habet eam sententiam qua vulgo adhibetur. Quapropter Baehrensius recte coniecisse videtur: f u r i t. Sed sive r u i t servas, sive f u r i t reponis, nulla profecto causa est, cur versus 71sq. hinc alienos [1]) putemus. Pro f e r t u r cum Hertzbergio legendum est p e c t u s, cf. Housman, JPh. XXI, p. 177.

83. mons erat ascensu dubius festoque remissus

Baehrensius cum O r e m i s s i s legens pro r e m i s s u s, quod est in Neapolitano, locum lacunosum iudicat:

mons erat ascensu dubius.......................... ....

....

.... festoque remissis.

Iacobi coniectura: m o n s e r a t a s c e n s u s, d a p i b u s f e s t o q u e r e m i s s u s manum poetae non restituit; ego leni correctione reponere velim: mons erat ascensu d u b i o festoque remissus.

Breviter enim res gestas attingit poeta: sic verba n e c m o r a significant montem iam ascensum esse, nam nunc demum canes vigiles necare incipit.

85. omnia praebebant somnos: sed Iuppiter unus

Verba corrupta: nam nihil prodest Rothsteinii observatio: „p r a e b e b a n t ist vom Standpunkte der Tarpeja gedacht, die ihren Plan ausführen will". Recte enim observat Luetiohannus (Comment. Prop. p. 10) nos, cum versum ita tantum interpretari possimus, ut totus festi apparatus ipsumque tempus somnum afferre Romanis dicatur, id etiam versibus qui proxime antecedunt dictum videre; „neque non sentimus — ita pergit — potius unum Iovem vigilantem omnibus ceteris somno sepultis oppositurum fuisse poetam".

---

quod putavit Housmanus eos post IV, 8, 52 transponens, quo prorsus non pertinent.

Coniecturis a Baehrensio in apparatu critico enumeratis addo Rossbergianam (Fleck. Jahrb. 1883, p. 74):

omnia praebebant somno se: Iuppiter unus

Collato Vergil Aen. IV, 522

nox erat et placidum carpebant fessa soporem
corpora per terras

mihi Luetiohanni inventum, quod Baehrensius quoque recepit, maxime placet: carpebant pro praebebant.

93. 94. a duce Tarpeio mons est cognomen adeptus:
o vigil iniustae praemia sortis habes

Sic hoc distichon, quod multum torsit viros doctos, legitur in Neapolitano; ceteri pro inustae: iniuste exhibent. Hexametrum Baehrensius corrigere conatur assumpta Schippersii coniectura audaci:

abs te Tarpeius (sic Rossbergius) mons est cognomen adeptus.

Melius emendatur et explicatur, si cum Bassano corrigimus:

a nece Tarpeiae mons est cognomen adeptus.

Pro vocabulo sortis, quod Postgatius iure corruptum habet, mortis reponere velim, quam coniecturam Luetiohanno (p. 19) quoque placuisse vidi. Is pentametrum ita correctum in hunc modum explicat: „cum mors proditionis tuae vel parum gravis poena sit (cf. v. 17sq.), tu pro morte etiam praemium habes, quasi de patria tua bene merita sis". Pentametrum igitur scribo: O vigil, iniuste praemia mortis habes.

ELEGIA V.

3. nec sedeant cineri Manes eqs.

Frustra operam dant viri docti, ut sensum ullum ex his verbis excutiant. Audi, quaeso, interpretes; Barthius explicat: „omnes manes tuum fugiant contubernium: sedeant pro assideant".

Paleyus: „may your shade not rest on your grave"; Phillimorius (Propertius translated by Ph. p. 154): „may your spirit find no rest nor peace with your ashes".

Manes s e d e r e in sepulchro nusquam legimus: apud Platonem (Phaed. p. 81 c) anima *περὶ τὰ μνήματά τε καὶ τούς τάφους κυλινδουμένη* describitur.

Equidem non dubito, quin verba corrupta sint; bonum autem sensum dat viri cl. Hartmani coniectura[1]):

nec sedem tibi dent Manes,

Observandum est, quam apte, si sic correximus, sequatur:

et Cerberus ultor
turpia ieiuno terreat ossa sono

9. illa velit, poterit magnes non ducere ferrum

Cave, ne cum Fonteinio et Postgatio (in edit. 1894): p o t e r a t, aut cum Baehrensio p o t u i t scribas.

11. Quippe et, Collinas ad fossam moverit herbas,
stantia currenti diluerentur aqua.

Locus graviter corruptus: primum quippe hic non exspectatur; deinde nemo mihi persuadebit ad fossam, cum movendi verbum sequatur, cum Rothsteinio p r o p e f o s s a m vertendum esse; praeterea non intelligo, quid movendi verbum hic significet, neque enim quicquam prodest cum Rothsteinio vertere „die Zauberin setzt die Wirksamkeit der Kräuter in Bewegung" neque si credimus poetam hic nobis narrare saxa dilui per herbas, apparet, quid f o s s a hoc loco sibi velit; postremum nego s t a n t i a sic nude positum r u p e s significare posse. Quid alii legere velint, apud Baehrensium reperias; mihi aliorum inventis ex parte uso legendum videtur:

quin et Collinas ad fossam moverit umbras,
saxaque currenti diluerentur aqua.

[1]) Een en ander over Propertius p. 14, ubi haec additur versio: „mogen de schimmen u een plaats in haar midden weigeren".

Non credo hexametrum et pentametrum coniunctos unam sententiam dare, sed duas res nobis a poeta narrari; in pentametro autem interpretando mente suppleatur: per eius vim magicam.

15. Pro p o s s e t, e t, quod in O legitur, Itali recte u t legerunt. Quo recepto videmus nihil hic deese, quod Baehrensius putavit inter 15 et 16 lacunam statuens.

Revera versum 15 cum sequenti coniungendum esse, quod Rothsteinius et Phillimorius negant, patet ex iis, quae observat Hertzbergius: „cum allegorica pleraque in superstitionibus his magicis essent, cornicibus potissimum oculos eruit, quia his avibus visus est acerrimus; hactenus igitur tantum proverbium illud huc pertinet; cornici cornix oculos configit quo callidum hominem a callidiore deceptum esse significatur".

cf. Cic. Pro Mur. 25: inventus est scriba quidam, Cn. Flavius, qui cornicum oculos confixerit eqs.

19. exorabat opus + verbis ceu blanda perure +
saxosamque + ferat + sedula culpa viam

Sic hoc distichon legitur in O, corrupte, ut consentiunt omnes. Pro e x o r a b a t o p u s, quod ut explicaret Rothsteinio non contigit, cum Housmano (JPh. XVI p. 14) e x e r c e b a t lego. Cum constet f e r a t corruptum esse, vitium melius explicatur si cum Rossbergio (Luc. Prop. p. 27) f o r a t, quam si cum Jacobo f e r i t corrigimus.

T a l p a m, quod Rossbergio (l.l.) placuit s a x o s a m t e r r a m f o r a r e historia naturalis non docet.

His de causis distichon mihi ita emendandum esse videtur:

exercebat opus verbis heu [1]) blanda perinde [2])
saxosam (atque [3]) forat sedula lympha [4]) viam.

l u m p a facile in c u l p a corrumpi potuit.

---

[1]) [2]) [3]) sic Housmanus (JPh. XVI, p. 14, XXII, p. 103).

[4]) sic iam Itali.

21. Si te Eoa Dorozantum iuvat aurea ripa

Dorozantum haud dubie corruptum; varia coniecere viri docti (cf. Bursian. 1888, zweite Abt. p. 142, ubi pleraeque coniecturae enumerantur; addatur his, quod Housmanus excogitavit (JPh. XXI, p. 124): si te Eoa topazorum iuvat aurea ripa; mihi veri simillima videtur Ellisii (JPh. XV p. 19): si te Eoa Darisanum iuvat aurea rica,
qui ipse confert Stephanum Byzant. s. v. *Δαρσανία. πόλις Ἰνδική, ἐν ᾗ αὐθημερὸν ἱμάτιον ἱστουργοῦσι γυναῖκες, ὡς Διονύσιος Βασσαρικῶν τρίτη.*

23. Eurypylique placet Coae textura Minervae

Eurypyli neque ex Minerva[1]) neque ex nomine insulae quod in adiectivo Coae latet[2]) pendere potest, neque recte Paleyus vulgatam tuetur vertendo: „Eurypylus' texture of Coan art", quod significaret vestem illam Eurypyli esse.
Cum Heinsio corrigendum est Eurypylisque; quod contra hanc emendationem affert Hertzbergius „quis unquam Eurypylum regem pensa fecisse exaudivit?" ad nihil redit: Eurypylis enim = Coa.

29. et simulare virum pretium facit: utere causis!

Recte Lachmannus observavit simulare virum verti non posse: simulare virum venturum conferens:
Ov. Met. XI 310: Phoebus anum simulat.
Ipse commendat Heinsii coniecturam simulare iram. Vahlenus et stimulare iram recepit. Ego propter pentametrum dilata .... nocte et versum 33 cum Baehrensio et Hartmanno Luetiohanni inventum:

et simulare moram pretium facit,

verum habeo.

---

[1]) Iacobsius, Floril. p. 237.
[2]) Hertzbergius.

31. 32. Hoc distichon sic interpungo:

Si tibi forte comas vexaverit, utilis ira:
postmodo mercata pace premendus erit.

33. fac simules puros Isidis esse dies.

Cum D versum sic exhibeat

fac puros ...... sideris esse dies

FL simules omittant, Baehrensius in archetypo simules Isidis in sideris conflatum esse credens, non cum N

fac simules (similes N in rasura) puros Isidis (sic Beroaldus; sideris N) esse dies

legendum esse censet, sed

fac puros simules Isidis esse dies.

Baehrensio assensi sunt Solbisky (p. 158) et Postgatius (in edit. 1894.)

Sideris tamen corruptelam sic quoque explicare possumus, ut in puros isidis ultimam literam vocis puros per dittographiam bis scriptam esse putemus.

Non est igitur, cur Neapolitano hoc loco, quamquam similes in rasura legitur, diffidamus.

35. Ingerat Apriles Iole tibi, tundat Amycle
natalem Mais Idibus esse tuum.

tibi tundat N; tibi tondat LDV; circumdat F. Baehrensius ex lectione F proficiscens contendat edidit ex coniectura Heinsii. Sed tundat suam explicationem habet; recte enim Passeratius citat Donatum ad Ter. hec. 123:

tundere est saepius idem repetere.

38. Supplex ille sedet, posita tu scribe cathedra
quidlibet.

quidlibet Nf; quilibet O

Baehrensius a lectione O profectus quoilibet scripsit, sed hic quoque N verum praebet; lepide poeta anum puellam

hortantem fingit, ut quidlibet scribat; non opus est puellam amatori cuiquam scribere; recte Rothsteinius: „was sie schreibt, ist gleichgültig".

39. 40. semper habe morsus circa tua colla recentis,
litibus alternis quos putet esse datos.

alternis N; alterius F L D.

Recte alterius scribunt Baehrensius Vahlenus Rothsteinius; litibus sanum esse non credo; morsus non litis signum est, sed lusus amatorii, cf. Plauti Pseud. 67 teneris labellis molles morsiunculae.

Si audit amator puellam cum alio litem habuisse, non irascitur, sed laetus sperat mox rivalem suum eiectum iri.

Cum Guyeto Baehrensio Hartmano restituo: lusibus.

44. cum ferit astutos comica moecha Getas.

Pro astutos Baehrensius austeros legit, male: ipsos servos versutos capi a Thaide dicit poeta.

Coniectura comis amica, quam Guyetus pro comica moecha proposuit, a solo Baehrensio in textum recepta est. Nonnulla tamen nos de lectione tradita dubitare cogunt.

Moecham Thaidem vix appellare possumus; comica epitheton otiosum videtur; nam hanc solam ob causam comica vocatur, quia partes agit in comoedia, quod non opus est addi. Contra comis oppositum est voci probra vs. 41. Comis sis: haec praecipit anus.

47. 48. Ianitor ad dantis vigilet: si pulset inanis,
surdus in obductam somniet usque seram.

si pulset inanis O.

Melius inscriptio Pompeiana: pulsat, quod recte assumunt Baehrensius Postgatius Hartmanus.

51. 52. aut quorum titulus per barbara colla pependit,
caelati medio cum saluere foro.

c e l a t i O, quod plerique editores tuentur c a e l a t i scribentes exceptis Lachmanno Paleyo Postgatio Rothsteinio, qui cum Passeratio c r e t a t i legunt.

Ii, qui c a e l a t i edunt, explicant „barbari corpus acu vel caelo pungentes", Anglice: t a t t o o e d. Nusquam tamen c a e l a r e hoc sensu adhibitum legimus. Apud Hertzbergium praeterea legimus: „recte Iacobus cretatos pedes barbarorum (quibus scilicet venales esse significentur) titulo iam notari observat". Titulus quid sit, nos docet Gellius IV, 2. 1. (cf. Rothsteinium ad hunc versum); Iacobi igitur observatio ad nihil redit.

Legendum: c r e t a t i.

55. 56. Cave, ne cum Scaligero Lachmanno Postgatio hoc distichon spurium ducas. Toto carmine poeta anum malas artes enumerantem facit, per quas ipse perierit; iure suo Hertzbergius hos versus „nervos totius elegiae" vocat.

57. 58. qui versus, Coae dederit nec munera vestis,
istius tibi sit surda sine aere lyra.

Non recte faciunt ii qui versu 58 Lachmanno praeeunte lectionem Neapolitani praeferunt ceterorum lectioni s i n e a r t e. Nam quid hoc est: qui versus dederit, non dederit vestem, eius lyra surda sit sine aere?

S i n e a r t e tamen optimum praebet sensum: „qui versus dederit, non dederit vestem, eius lyra surda sit neve aures arte sua moveat".

61. 62. Vidi ego odorati victura rosaria Paesti
sub matutino cocta iacere Noto.

Schippersius (p. 48) versum sic refingit

vidi ego o d o r a t u m victura rosaria P a e s t u m

collat. Mart. XII Ep. 31:

prataque nec bifero cessura rosaria Paesto

et Ov. ex Ponto II, 4, 28:

calthaque Paestanas vincet odore rosas.

Haec coniectura nostra aetate denuo proposita est a Postgatio (Propertius in 1880) qui eam in textu posuit. Cui bono? Optimum sensum dat vulgata: recte iam Paleyus vertit: „which would have lived longer i-e killed before their time".

64. per tenues ossa sunt numerata cutem
sic O.
Diversissimae sunt virorum doctorum de hoc versu opiniones. Omnino reicienda est Rothsteinii, qui confert versum haud dubie corruptum II, 13. 25:

Sat mea sit magna, si tres sint pompa libelli.

Versum quamvis corruptus sit non tamen hanc ob causam cum Mureto damnare velim utpote lacunae supplendae causa insertum; ex coniecturis propositis eligo inventum Palmeri:

per tenuem ossa suam sunt numerata cutem.

71. Pro fuerant cum Passeratio corrigendum fuerunt.

77. Pro caedito rectissime Livineius caedite scripsit, cf. Lachmannum ad hunc locum, quam certam correctionem Phillimorius spernere non debuerat.

ELEGIA VI.

3. Cera Philetaeis certet Romana corymbis
Ad hunc versum Rothsteinius annotat: „Properz hat sich nicht bemüht, beide Seiten des Gegensatzes durch ein einheitliches Bild zur Anschauung zu bringen, sondern er fällt das eine Mal aus dem Bilde heraus: cf. III, 1. 17:

sed, quod pace legas, opus hoc de monte sororum
detulit intacta pagina nostra via.

Sed iam Schippersius (p. 49) contra Lachmannum, qui cera

pro quo antea s e r t a edebatur restituerat, observavit: „cera, qua commentandi exercitationisque tantum causa uti solebant, hic ineptum foret".

Repono igitur cum Scaligero: s e r t a[1]).

17. Pro p e l a g u s ingeniose Marklandus coniecit: L e u c a s, sed confer Lachmannum (ed. 1816) et Rothsteinium.

22. pilaque feminea turpiter acta manu

a c t a DV; a p t a NFL

Qui hic quoque Neapolitanum verum praebere credunt, cum Marklando corrigunt:

pilaque femineae turpiter apta manu.

T u r p i t e r a p t a defendi posse non credo; quamobrem noster locus iis adnumerandus esse videtur, ubi DV verum praebent.

26. armorum et radiis picta tremebat aqua.

Non debuerat spernere Lachmannus Heinsii coniecturam: i c t a, neque enim aqua armorum radiis icta colorem mutat, ut aer, qui fulminis ignibus rutilat; nihil igitur prodest exemplum ab eo datum: Varro (apud Nonium VI. 16):

cum pictus aer fervidus late ignibus
caeli choreas astricas ostenderet.

Quomodo corruptela orta sit perspicuum fit, si cum Housmano (JPh. XXII, p. 107) scribimus: a r m o r u m r a d i i s q u e i c t a t r e m e b a t a q u a.

28. nam tulit iratos mobilis unda Notos

Versus quomodo interpretandus esset, primus mortalium

---

[1]) De Hauptii coniectura a r a (Index lect. hib. 1854/55, p. 13) recte observat Postgatius (Select El. p. 209): „a r a introduces an incongruous metaphor". Quae autem Hauptius contra Scaligeri inventum affert, levissimi momenti sunt: „(Scaliger) s e r t a scribendum esse coniecit, a p t e sane, sed mutatione non tam probabili ut non debeat leniori, si inveniri possit, cedere. minuitur etiam probabilitas, si praeterea c e r t e n t scribimus; si c e r t e t servamus, quod Scaliger voluisse videtur nuperque Ungerus defendit, non credibile est Propertium rarissimo sertae singulari numero hic usurum fuisse ubi res ipsa pluralem commendabat". cf. tamen II, 33, 37 ibique nostram adnotationem.

intellexit Kraffertius, qui sua explicatione textum traditum felicissime defendit: „Apollo verlässt Delos und nähert sich Actium; denn die Wogen hatten an jenem Tage die Gewalt der erzürnten Winde zu tragen, d.h. die Flotte des Augustus litt von Stürmen — und das bestätigen die Historiker, welche die näheren Umstände jenes ereignisreichen Tages schildern" (Beiträge p. 148).

36. l y r a e tuetur Lachmannus, cf. Postgatium (Select El. p. 215); sed mihi veri similius videtur l y r a e ex versu 32 irrepsisse, cumque editore Etonensi lego d e a e [1]).

45. et nimium remis audent prope: turpe Latinis
principe te fluctus regia vela pati

Sic hoc distichon traditur codice Neapolitano; pro n i m i u m DVL n u m e n legunt, unde Baehrensius: e t n u n c, e n, r e m i s a u d e n t p r o p e. Ego totum distichon Neapolitani lectione servata sic scribo:

et nimium remis audent: pro turpe Latinos
principe te fluctus regia vela pati

L a t i n o s iam Marklandus coniecit.

56 F u i t, pro quo Heinsius f u r i t proposuit, defendit Postgatius (Select Eleg. p. 218).

59. 60. at pater Idalio miratur Caesar ab astro:
Sum deus; est nostri sanguinis ista fides.

Versu 59 Itali recte m i r a t u s scripserunt, quo reposito verbum d i x i t mente suppleri potest. Lachmannus primus codicum lectionem revocavit, sed tamen verbum dicendi, sive mente suppletum, sive alio modo expressum desiderari intelligens t u m d e u s coniecit pro s u m d e u s, quod cur corruptum duceret ita

---

[1]) Minus placet coniectura Palmeri (Praefat. edit. LIV) v i r i pro l y r a e; v i r i i m b e l l e s minus feliciter dictum videtur de novis illis populis, quibus serpens terror erat, cf. Ov. Met. I, 438sqq.

exposuit: „Deum sese esse inepte nimis hic affirmabat Caesar, cum illud esset potius agendum, Augustum esse veram et dignam patre Caesare prolem".

Sed quanto melior Baehrensii coniectura: tu meus; non tamen necesse cum Marklando pro est (sic NFLV; D: et) en reponere.

64. hoc unum corruptum habuit Baehrensius; Paleyus, ut hoc unum haberet, unde penderet, versu praecendenti nixa in nacta mutavit, sed hoc unum appositio est reliquae partis versus; Postgatius (Select El. p. 220) comparat Tac. H. III 31: aspernantem fatigant, extremum malorum, tot fortissimi viri proditoris opem invocantes.

72. blanditiaeque fluant per mea colla rosae.
Blanditiaeque corruptum esse multi crediderunt (vid. Baehrensii appar. cr.); sed rosae genetivus est singularis. Rosa singulari numero pro plurali apud nostrum saepius legitur: IV, 8, 40; III, 5, 22; IV, 2, 40.

75. Ingenium potis irritet Musa poetis
Quamvis neget Lachmannus, cum Scaligero indicativus restituendus est: γνώμην hanc esse ostendunt vocabula: potis ... poetis.

79. Vulgatam satis tuetur Schippersius (p. 53); vid. Rothsteinium et Postgatium (Select El. p. 222.)

80. Reddat mihi vitiosum videtur, quoniam arma iam tradita sunt. Schippersius reddit proposuit; ego malim:
„reddita signa Remi: mox dabit ipse sua".

81. Pro aliquis Itali recte scripserunt aliquid; nimis longe absunt a litteris traditis Baehrensii coniectura: almus et Housmani (JPh. XVI, p. 16) aequus.

82. Pro differat cum Francio Schippersio Hartmano differet scribo; coniunctivum pro futuro accipere hic nimis ambiguum; si coniunctivum idem valere atque imperativum putamus, Augusti honori poetam detrectantem facimus; cur enim Augustus parti Orientis nondum victae parceret nisi ut filiis subigendam relinqueret?

ELEGIA VII.

1. Luridaque + eiunctos effugit umbra rogos

Eiunctos corruptam lectionem Neapolitani plerique editores emendare conantur Italorum coniectura evictos, quam varie explicant. Rothsteinius evincendi verbum hic adhibitum esse eodem modo atquo hoc loco Ovidii, Met. XIV, 768:

> qualis ubi oppositas nitidissima solis imago
> evicit nubes nullaque obstante reluxit:

de lumine igitur, quod tenebras et caliginem sepulchri evincit; hoc tamen de lurida umbra dici nequit; sed quis hoc contextu verbo evincendi eam sententiam dabit, quam vult Rothsteinius? Aliquanto melior videtur Paleyi interpretatio: „evictos rogos, e.i. qui Manes domare non possunt”. Sed obscurissime sic exprimitur id quod legimus apud Aeschylum, Choeph. 315

> τέκνον, φρόνημα τοῦ θανόντος οὐ δαμάζει
> πυρὸς μαλερὰ γνάθος.

Num potest rogus, qui umbram domare non potuit, ipse nulla re ad explicandum addita, domitus vocari? Sed ne obliviscamur evictos nihil nisi coniecturam esse. Passeratii tamen coniectura exstinctos, quae praeterea propius ad ductus litterarum accedit, omnes illae difficultates felicissime tolluntur. Eandem coniecturam veram ducunt viri doctissimi Postgate (in edit. 1894) et Hartman.

Collato Ov, Trist. IV, 10, 85:

si tamen extinctis aliquid nisi nomina restat
    et gracilis structos effugit umbra rogos

cum Rossbergio (Neue Jahrb. Fleckeis. 1883, p. 75) de extructis cogites.

4. murmur ad extremae nuper humata viae.

Ad hunc versum Postgatius (Praefat. edit. p. V.) verissime observat mirum esse admodum Propertium non addere, quo via sepulta sit Cynthia; Propertium enim non sibi scribere, qui sciat, sed legenti qui nesciat. Housmani tamen coniecturam (JPh. XVI, p. 14).

Tibure ad extremam nuper humata viam,

quae nimis longe distat a litteris traditis, iure reicit.

Itaque prorsus viro clarissimo assentior sic scribenti: „ut nunc res se habet, Cynthiae sepulchri locum, ubi non attinebat, bis commemoravit Propertius, ubi necesse erat, ne semel quidem. ergo quod dest eo quod superest expleatur, versibus 81. 82 post 4 traiectis".

5. cum mihi somnus ab exsequiis penderet amoris

Pro amoris Livineius amarus [1]) coniecit, quod et Lachmanno valde probatur; neque tamen is codicum scripturam reicere audet comparato libr. I. 17. 7:

illic si qua meum sepelissent fata dolorem,
    ultimus et posito staret amore lapis

et Theocr. XXIII, 43: *χῶμα δέ μοι κοίλαινε, τό μευ κρύψει τὸν ἔρωτα.*

Sed amoris hic significare posse „puellae a me amatae" neque hi loci de amore eius, qui sepultus est, non de superstitis amore loquentes demonstrant, neque quicquam prodest comparare: meus amor pro is, quem amo: sic enim si interpretari velimus, pronomen possessivum omitti non potest.

---

[1]) cf. II, 19, 6.

7. eosdem habuit secum, quibus est elata capillis.

capillis NF; capillos DV.

Utraque lectio bene habet; sed capillos praefero cum Baehrensio Housmano (JPh. XXI, p. 178) Postgatio. Est enim mos Propertii in altera parte versus substantivum ponere, in altera parte adiectivum, quod ad id substantivum pertinet; praeterea librarius capillos facile, cum ablativus quibus praecederet, in capillis corrigere potuit. Hoc loco DV verum servarunt prae Neapolitano.

11. spirantisque animos et vocem misit: at illi
pollicibus fragiles increpuere manus.

Baehrensius pro at cum Heinsio et legit; neque tamen recte: viventis quidem vocem misit, sed manus eius non iam fortem sonitum reddere poterant.

15. iamne tibi exciderant vigilacis furta Suburae

Pro furta, quae est optima lectio Neapolitani, Baehrensius incredibile dictu recepit tecta, ut O legunt.

Quomodo vitiosa lectio O irrepserit, optime docet Housmanus (JPh. XXI, p. 133).

Praeterea cum Scaligero pro exciderant perfectum excidĕrunt restituendum est, quoniam plusquamperfectum nunquam perfecti loco adhibere licet.

19. 20. saepe Venus trivio commissa est, pectore mixto
fecerunt tepidas pallia nostra vias

Pallia N; pectora ceteri.

Hoc loco neque N neque ceteri codices verum servaverunt. Rossbergius a lectione O profectus pectora in corpora mutare vult; contra Luetiohannus (Comment. Prop. p. 55 adn.) Neapolitanum vestigia veri optime servasse ratus pro pallia cum seminarii philologici Kiloniensis sodale legit proelia, ad

quam correctionem defendendam Housmanus (JPh. XXI, p. 168) citat [Tib.] IV, 3, 3, ubi optimus codex praelia, ceteri pectore exhibent. Cum pectora nihil nisi mera coniectura videatur, ego cum Hartmano proelia verum habeo.

23. 24. at mihi non oculos quisquam inclamavit euntis:
unum impetrassem te revocante diem.

Kraffertius (Beiträge p. 148) Italorum coniecturam inclinavit pro inclamavit commendat: sed iniuria, nam pentameter docet hexametrum non locutum esse de oculis condendis. Iacobus autem observat: „posse amore, desiderio, voto retineri fugientem animam putarunt multi". Confer II, 27. 15:

Si modo clamantis revocaverit aura puellae,
concessum nulla lege redibit iter.

et annotationem Paleyi.

Euntis idem valet atque labentes: non igitur opus cum Housmano (JPh. XVI, p. 14) eunti reponere.

26. Si hunc versum ita explicamus, ut explicat Rothsteinius, Guyeti coniectura abiectum pro obiectum fortasse carere possumus.

35—38. Iam Scaliger hos versus alieno loco legi intellexit. Iure enim rogat Luetiohannus (Commentat. Prop. p. 40): „quare enim factum est, ut inter querellas quibus v. 13—50 Propertium obruit Cynthia subito eundem adhortaretur, ut servos mortis suae auctores cruciaret? at ne ibi quidem quo eos transtulit Scaliger, post v. 46 locum suum defendunt. sed coniunctivi uratur candescat tollat demonstrant mandatorum, quae inde a v. 71 se amico daturam esse pronuntiat Cynthia, haec partem aliquam efficere". Reicit autem Luetiohannus illa disticha post v. 76, nos Postgatium sequi malumus, qui eos post 72 transposuit; de Chloride enim loquens sponte de morte sua cogitare inducitur; sic verba sensi ego perspicua fiunt: „nempe sensi ego, cur mihi pereundum esset; Chloris tibi persuasit, ut foedum hoc facinus committeres".

37. aut Nomas arcanas tollat versuta salivas
Versus sanissimus recte ab Rothsteinio explicatus est; quid autem Baehrensii coniectura: *haut Nomas eqs* sibi velit fateor me non intelligere. Pro *aut* Postgatius in editione 1894 scribit *et*, quod mihi verum videtur: et de Lygdamo et de Nomade quaestio habeatur: nam Lygdamum vitae suae insidiatum esse ipsa dicit versu 36 neque Nomas innocens est, ut versu 38 significat.

41. et graviora rependit iniquis pensa quasillis
rependit recte legit Neapolitanus cf. Ov. her. IX, 78:
formosae pensa rependis erae
Baehrensius a lectione O profectus pro *fundit* *iniungit* coniecit, quod bonum quidem praebet sensum, sed in re dubia semper melior Neapolitanus sequendus est et hoc loco versus Ovidii Neapolitani lectionem egregie confirmat.

47. 48. Hos versus cum Schradero post 40 transponendos esse intellexit Postgatius, cui libenter assentior. In textu tradito versus 47.48 non de Chloride, sed de Lalage dicti videntur.
Pro *ardente*, quod in O legitur, cum Italis lego *ardenti e*.

51. iuro ego Fatorum nulli revolubile carmen.
Adiectivum *revolubile* argumento est vocem *carmen* corruptam esse: cum Italis *stamen* lego, quod Hartmano quoque probatur.

55. nam gemina est sedes turpem sortita per amnem,
turbaque diversa remigat omnis aqua.
57. una Clytaemestrae stuprum vehit, altera Cressae
portat mentitae lignea monstra bovis.
59. ecce coronato pars altera parta phaselo,
mulcet ubi Elysias aura beata rosas

Versum 55 verbum sortiendi passive adhibitum esse iure monent viri docti collato versu 20 elegiae huius libri undecimae; sed versum 57 corruptum esse nemo mihi eripiet; hoc enim versu et sequenti pentametro feminae impudicae nominantur, quibus Elysium habitare non licet, versu demum 59 de altera parte mortuorum legimus, cui ob honestam probamque vitam amoena vireta contingunt. Ergo vocabulum altera prorsus non quadrat in versum 57, ubi de malis tantum hominibus sermo; ridiculum autem est cum Paleyo Rothsteinio aliis putare malos homines et ipsos in duas partes dividi. Hertzbergius, qui, quamvis strenuus esset defensor textus traditi, intellexit hanc difficultatem nulla interpretandi ratione tolli posse, leni certe correctione versum edidit sic: unda Clytaemestrae stuprum vehit altera, Cressae

portat etc.

sed vehementer displicet asyndeton.

Ellisius (JPh. IX p. 236, cf. XV, p. 20) legit:

una Clytaemestrae stuprum vel adultera Cressae
portat mentitae lignea monstra bovis.

quod ego cum Postgatio verum duco. Ipse Ellisius ad coniecturam defendendam iam citavit: Anth. L. 131 Riese

vatem te poterit reddere ligneum,
qui vaccam trabibus lusit adulteris.

Constructio autem versus emendati haec est:

„una aqua portat stuprum Clyaemestrae vel Cressae[1]), quae mentita est adultera monstra lignea bovis".

Qui pleonasmum mentiri adultera monstra vituperant relego ad Livii illud: XXV, 3, 10 mentiti erant falsa naufragia.

Restant leviuscula quaedam. Versu 55 fortasse cum Burmanno pro turpem legendum est tristem; versu 59 sine ullo dubio corruptum est vocabulum parta, pro quo iam Itali

---

[1]) Non neccesse est cum Housmano (JPh. XVI, p. 15) accusativum Cressam ... mentitam restituere.

vecta scripsere: aliae coniecturae sunt: rapta (Palmer), adacta (Baehrensius), pulsa (Postgatius), lata (Muellerus); quid ex his scripserit poeta, incertum est. Si ductus litterarum spectas, Palmeri inventum praeplacet, sed rapiendi verbum hinc alienum propter celeritatis notionem, quam hic non exspectamus. Ceterae coniecturae bonam quidem sententiam restituunt, sed parum curant artem palaeographicam, nisi forte putare vis parta coortum esse, cum librarius vocem partem in mente haberet, quam modo scripserat. Tunc equidem eligam Italorum coniecturam:

ecce coronato pars altera (vec)ta phaselo,

sed nihil hic pro certo statui potest.

64. Andromedeque et Hypermestre sine fraude maritae
narrant historiae pectora nota suae

Duplex vitium hoc distichon contraxit; nam prorsus non liquet cur Andromeda vocetur: marita sine fraude; scribe autem cum Rossbergio (Fleck. Jahrb. 1883 p. 76): sine fraude marita, ut haec verba solam Hypermestram spectent. Alterum mendum feliciter correxit Heimreichius (Quaest. Prop. p. 55), qui cur historiae pectora nota suae corrupta ducat, sic exponit: „neque Andromede et Hypermestre apte nominari possunt historiae pectora nota suae et narrandi verbum postulat obiectum", deinde confert: II, 28, 46. Pauci tamen eius emendationem recipere ausi sunt, hanc fortasse ob causam, quod correctionem nimis audacem putabant. Sed si causam corruptelae intelligis, Heimreichius quin verum viderit, non dubitabis. Verba enim nota pericla, ut saepius, casu quodam inter se transposita librarius, cum metrum claudicaret, παραδιορθώσει in pectora nota mutavit.

69. Sic mortis lacrimis vitae sanamus amores.

En versus sine ullo dubio corruptus, quem tamen editores integrum sanumque habent. Sed quid mortis lacrimae?

quomodo poeta dicere potest feminas illas de amoribus suis loqui, cum queratur Andromeda de catenis, Hypermestra scelera sororum, suam innocentiam narret?

Sed quam facile corruptum esse locum demonstrare, tam difficile certam excogitare correctionem; equidem vitia, quae supra monstravi, optime fortasse sic emendari puto:

Sic multis lacrimis vitae sanamus amara
Luetiohanni Marklandique usus inventis.

Amores et amara eodem fere modo corrupta inveniuntur, si recte disputavi, eadem hac elegia, v. 5.

74. Hoc versu non recte corrupta habentur verba: potuit, nec tibi avara fuit; pro potuit enim Baehrensius, qui ipse dubitanter proposuit doluit, cum Italis edidit patuit. Sed recte se habet lectio O, ut Phillimorii quoque versio docet: „she had the power, and you never found her covetous". Partheniam nutricem apud Cynthiam in magno fuisse honore eamque ob causam avaritiam suam explere potuisse totus locus docet.

78. Non necessarium mihi videtur cum Baehrensio conicere: „ure: mihi laudes me sine habere meas". Cur dici non potest: desine diutius ea possidere, quae mea sunt?

Lego igitur: ure mihi: laudes desine habere meas.

79. pugnante corymbo nimis obscure dictum pro pugnante cum hedera, vel cum foliis. Veram lectionem Cornelissenus reposuit: praegnante corymbo (Mn. N.S. vol. VII, p. 108) cf. Ov. Met. III, 664:

impediunt hederae remos nexuque recurvo.
serpunt et gravidis distinguunt vela corymbis.

Colum. X, 379: gelidas per graminis umbras
intortus cucumis, praegnansque cucurbita serpit.

Totum autem distichon sic edam:

pelle hederam tumulo, mihi quae praegnante corymbo
mollia contortis illigat ossa comis.

Cur *mollia* legendum sit, vide Rothsteinii huius loci interpretationem; cave, ne cum Ellisio *mollis* legas; hedera, quae a tumulo pellenda est, *mollis* vocari non potest; pro *alligat* cum Fonteinio scripsi *illigat*, quia hedera ossa non *vincit* comis suis, sed *intexit*.

81. ramosis Anio qua pomifer incubat arvis.
Iniuria spernunt Palmerus Rothsteinius Phillimorius pulchram Broukhusii emendationem:
pomosis Anio qua *spumifer* incubat arvis.
Textus enim traditus duo absurdissima vitia contraxit. Nam quid sunt *ramosa arva*? Quid prodest comparare *Silvani ramosa domus* (IV 4, 5) i.e. domus, quam efficiunt arborum rami? Quis porro unquam audivit flumen poma ferre? Neque hic quicquam proficimus comparando Ov. Met. I, 579: populifer; populos enim fluvium in ripis habere aut ferre optime intelligimus. Apud Ovid. am. III, 6, 45: quid legendum esset multo ante docuit Bentleius:

nec te praetereo, qui per cava *saxa* volutans
Tiburis Argei pomifera (mss. pomifer) arva rigas,

neque igitur hic locus afferri potest ad *pomifer* apud nostrum tuendum. In saxosis autem ripis Anienis nullum locum fuisse arboribus pomiferis et hic locus Ovidii docet et Stat. Silv. I, 3:

Ipse Anien (miranda fides) infraque superque
saxeus hic tumidam rabiem *spumosaque* ponit
murmura eqs.

83. Hoc versu lectio Neapolitani *hic* utique servanda, neque cum Baehrensio scribendum *hoc*, quod e lectione O deduxit; *hic*: *in sepulcro*.

85. Cum Italis lego:
Hic Tiburtina iacet aurea Cynthia terra.

Vestigia veri hoc loco optime servavit F, qui haec habet:

sed Tiburtina iacet hic aurea Cynthia terra.

Postquam ex versu praecedenti s e d in nostri quoque versus initium irrepsit, adverbium h i c loco motum; NDL metri causa T i b u r t i n a in T i b u r n a corrupisse videntur.

ELEGIA VIII.

1. Disce, quid Esquilias hac nocte fugarit aquosas

Hunc versum apud Passeratium ita explicatum invenimus: „Accipe cur Esquiliae ipsae fugerint, sedibus suis convulsae nocte praeterita, cur nemo remanserit Esquiliis". Contorta explicatio, ut quivis mihi assentietur, et melius sane Rothsteinii vocabulum f u g a r i t defendit, cuius explicationem fortasse boni consulere possumus; attamen dignissimae, quae perpendantur sunt coniecturae Heinsii a g i t a r i t et Housmani (JPh. XVI, p. 15) n o c t e h a c f u r i a r i t.

Versus 19. 20 post versum 2 transposuit Luetiohannus, quem in edit. 1894 secutus est Postgatius. Non tamen recte, ut certissimis argumentis docet vir doctus Otto (BphW, 1885 p. 483).

4. hic ubi tam rarae non perit hora morae

Varia coniecere viri docti: h i c t i b i t a r t a r e a e (Itali), T a e n a r i a e — o r a (Heinsius), t a m g r a t a e n o n p e r i t eqs. (Housman, JPh. XVI, p. 15), sed recte vulgatam interpretatur Paley: „here, where the season of an amusement so rarely to be enjoyed (annua: vs. 8) is not thrown away".

6. qua penetrat (virgo, tale iter omne cave!)

ieiuni serpentis honos

Leo (RhMPh. 1880) quem sequitur Rothsteinius interpungit ita:

qua penetrat virgo (tale iter omne cave!)

Qua in re viro doctissimo assentiri non possum: nam vocativus imperativo cave addatur necesse est (cf. versum 13; verba tantum sensum habent, si virginem alloquitur poeta). Retinenda igitur Lachmanni interpunctio. Interpretor verba „qua penetrat honos serpentis": ubi demittitur donum serpentis. Ieiunum est, quod dedit Postgatius (in edit. 1894):

quae penetras virgo tale iter, omne cave.

Praeterea non debuerat Postgatius cum Housmano (JPh. XVI, p. 15) inter se transponere disticha 11. 12 et 9. 10. In Postgatii enim textu pronomen ille supervacuum est, cum iam praecedenti versu de serpente sermo fuerit. In textu autem tradito recte inter se opponuntur „puella, cuius manus raditur serpentis ore", et ille i.e. serpens, qui escas avide corripit.

10. Cum Cornelisseno (Mn. N.S. 7, p. 109) lego:

cum tenera anguino raditur ore manus, cf. nos ad. I, 14, 5.

28. multato volui castra movere toro

Miror quod Phillimorius multato edidit, pro quo iam Itali mutato scripserunt.

37. Lygdamus ad cyathos, utrique aestiva supellex

Hoc quoque loco, quamquam leviter corruptus est, Neapolitanus vestigia veri melius servavit quam ceteri codices. Nemo enim, nisi qui opinionem habet praeiudicatam, dubitabit, quin Scaligeri emendatio vitrique pro utrique (sic N), quae praeterea defenditur Copae versu 29: „si sapis, aestivo recubans te prolue vitro", ipsius poetae manum felicissime restituat. Errat igitur Baehrensius, qui a lectione O: uterque profectus craterque proponit; neque audiendus est Rossbergius, qui ūter (ἀσκός) + que explicat (Fleck. Jahrb. 1883 p. 76).

38. et Methymnaei Graeca saliva meri.

Pro Graeca, quod legimus in NFL, DV habent grata. Housmanus (JPh. XXI, 178) lectionem DV defendit, comparatis: Plinii h. n. XIV, 1 3 § 16: aliis (uvis) gratiam, qui et vinis,

affert fumus fabrilis, et ib. XXIII 1 22 § 40: sua cuique vino saliva innocentissima, sua cuique aetas gratissima. Postgatius quoque ad lectionem DV f o r t a s s e r e c t e adnotavit in apparatu critico editionis a. 1894. Si tamen g r a t a fuit in archetypo, non intelligimus, quonammodo Neapolitani lectio G r a e c a orta sit. Quam ob causam equidem amplecti malo Palmerii emendationem G r a i a qua forma Propertius semper utitur; G r a i a enim si olim in archetypo fuisse sumimus, omnia perspicua fiunt: Neapolitanus G r a i a in G r a e c a mutavit, quam formam librarii ex scriptoribus pedestribus magis notam habebant; G r a i a autem facillime in g r a t a corrumpi posse vix est quod moneam.

39. Nile, tuus tibicen erat, crotalistria Phyllis
Non opus est cum Baehrensio N i l o t e s conicere pro N i l e, t u u s. Versu 40 ille iniuria scripsit h a e c pro e t.

P h y l l i s an hic falso traditum sit, dubitat Burmannus; „neque enim veri simile videtur" inquit „poetam huic crotalistriae idem dedisse nomen, quod puellae quacum voluptuabatur". Aliud igitur nomen feminae hic latere suspicatus satis ingeniose conicit: P h i d i s.

41. Magnus et ipse suos breviter concretus in artus
Birtius (de amorum simulacris p. IX) et post eum Risbergius (Emendat. et Explic. Prop. p. 52) M a g n u s, quod Beroaldus in n a n u s mutavit plaudentibus editoribus, defendere conati sunt collato Iuv. VIII, 32: nanum cuiusdam Atlanta vocamus, cf. tamen Rothsteinium in appendice editionis p. 379, quem secutus cum Beroaldo n a n u s corrigo.

48. De hoc versu egimus ad II, 26, 11,

77. 78. colla cave inflectas ad summum obliqua theatrum,
aut lectica tuae sudet aperta morae.

Etiamsi cum Rothsteinio sumimus sudandi verbum a servis

in ipsam lecticam transferri, ne tum quidem recte se habet; textus traditus, si quicquam significat, facit ut roges, num sudent servi eam ob causam, quod lectica aperta sit. Hoc tamen absurdum est. Ergo cum Grutero et Heinsio s e d e t repone.

87. atque ita mutato per singula pallia lecto
respondi, et toto solvimus arma toro.

Non contigit Vahleno (Mon.Pr.A 1881 p. 352) neque Rothsteinio, ut vocem r e s p o n d i a suspicione vindicaret. Si verbum ex versu 81 illatum est, quae probabilis est coniectura Postgatii, frustra quid ipse poeta dederit, quaerimus. Sensum restituit Muelleri coniectura: r e s p a c t a, quae valde arridet, si r e s p o n d i non aliunde illatum, sed corruptum esse putare mavis. Sed quis de talibus locis se, quid ipse Propertius scripserit, pro certo scire contendere audeat?

ELEGIA IX.

3. Venit .... pecorosa Palatia montis.

Eo loco ubi ego lacunam reliqui in codicibus sunt: et advictos (N), et advinctos (D), et adiunctos (VL), adiutos (F). Lachmannus versum ita edidit:

venit ad eductos, pecorosa Palatia, montes,

quod Vahlenus et L. Muellerus in suas editiones receperunt. E d u c t u s quid significet, docent exempla a Lachmanno data:

Verg. A. II, 460:	Turrim in praecipiti stantem summisque sub eductam tectis [astra
A. VI, 630	........................Cyclopum educta caminis moenia conspicio
A. XII, 674	Turrim compactis trabibus quam eduxerat ipse.

E d u c t u s his locis, ubi de turribus vel moenibus sermo est, significat i n a l t u m e v e c t u s: praeterea observandum est participium e d u c t u s non a b s o l u t e adhibitum, sed s u b

astra, caminis esse addita. Tertium exemplum non idoneum est ad usum participii eductus illustrandum. Duo autem Lachmannus exempla dat, ubi montes nominantur:

Lucan. II, 428 de Apennino:

longior educto qua surgit in aera dorso

Stat. Theb. III, 460

mons erat audaci seductus in aethera dorso.

Vides hic quoque montem non simpliciter eductus dici sed in aera, in aethera addi.

Rothsteinius coniecit:

venit et ad victor, pecorosa Palatia, montes,

in quibus displicet coniunctio et; et.....et in hunc locum non quadrant; hoc incommodum tollitur, si cum Schippersio (p. 68) scribitur: venit ad invictus pecorosa Palatia montes.

Pecorosa defendi posse non credo: nemorosa, quod in deterioribus tantum legitur, melius quadrat in hunc locum; accedit praeterea, quod semper nemorosa Palatia dicuntur (cf. Burm.) Addatur Met. XIV, 822:

constitit in summo nemorosi colle Palati,

quem locum citat Schippersius (p. 68), qui observat duos locos Ovidii obstare, quominus pecorosa possint nominari:

Ov. Fast. I, 243

hic ubi nunc Roma est, incidua silva virebat,
tantaque res paucis pascua bubus erat

cf. ib. V, 93.

hic ubi nunc Roma est, orbis caput, arbor et herbae
et paucae pecudes, et casa rara fuit.

Ego Schippersii coniectura invictus recepta totum versum sic scribo: venit ad Invictus, nemorosa Palatia, montes cf. I, 20, 23.

9. Cacum in Aventino habitasse et Vergilius (VIII, 231) et Ovidius (Fast. I, 551) tradunt; apud Livium quoque (I, 7. 5) „pastor

accola eius loci (sc. Palatii)" nominatur. Recte igitur Schraderus nostro loco coniecit:

accola Cacus erat, metuendo raptor ab antro.

14. furis et implacidas diruit ira fores.

Baehrensius mavult: in fractas irruit, sed implacidas recte tuetur Paley, qui Hor. C. IV, 14. 10 citat: Geraunos, implacidum genus. Implacidas, quod grammatice ad fores pertinet, mente cum furis coniungendum.

21. dixerat, et sicco torquet sitis ora palato

Baehrensius coniecit: dixit ut haec, sicco eqs.

Simplicior est coniectura Housmani (JPh. XVI p. 15): dixerat, at sicco eqs.

Sed confer Rothsteinium ad IV, 4, 67.

22. terraque non ullas feta ministrat aquas

nisi non etiam cum voce feta coniungitur, corruptum esse statuendum est. Fortasse igitur cum Keilio (Observ. crit. p. 18) tosta reponendum; non tamen quod in Groningano festa legimus, argumento esse potest, (ut vult Luetiohannus, Comment. Prop. p. 6) Keilium verum vidisse; vox non ita usitata a librario corrupta est.

23. 24. sed procul inclusas audit ridere puellas.

lucus ab umbroso fecerat orbe nemus

Pentameter misere corruptus est; quod verba, tot menda! lucus et nemus hic ferri non possunt: nihil prodest cum Rothsteinio comparare:

Ov. Ars III, 689: silva nemus non alta facit; neque enim quisquam ignorat vocem silva saepe arbores significare; lucus vero eo sensu nusquam invenitur. Piget referre, quomodo Rothsteinius verba aperte corrupta explicare conetur. Noster locus fortioribus remediis sanandus est.

Weidgen (Quaest. Prop.): l u c u s u b i u m b r o s o s e g r e g a t o r b e n e m u s proposuit; quae coniectura incommoda minime tollit. Sententiam recte restituit Fonteinius:

murus ubi umbrosum saepserat orbe nemus.

28. putris odorato luxerat igne casa

Baehrensius Heinsii coniectura t u r i s pro p u t r i s recepta versum legit:

turis odorato lux erat igne casa;

Postgatius:

turis odorato luxerat igne casa.

Sed iam anno 1883 Rossbergius textum traditum praestantissime defendit (N. Jahrb. Fleck. 1883), qui recte negat tus ardens lucem dare. O d o r a t o i g n e explicat comparato notissimo loco Vergilii (Aen. VII 13): (Circe) urit odoratam nocturna in lumina cedrum; deinde l u x e r a t a verbo lucescendi derivat. Totum autem versum Germanice sic vertit: „die baufällige Hütte hatte zu leuchten angefangen (d. h. war eben erleuchtet worden) durch Feuer von wohlriechendem Holz".

29. populus et longis ornabat frondibus aedem.

Populi folia non l o n g a dici posse quisque scit, qui in arte botanica non plane hospes est; quid autem sit f r o n s l o n g a non patet: vox corrupta videtur; Fonteinius d e n s i s, Baehrensius l a r g i s, utroque melius Housmanus proposuit (JPh. XVI, p. 15) g l a u c i s, quod adiectivum optime pingit nitida populi folia; g l a u c a e f r o n d e s cf. Val. Flacc. III, 436.

40. et numquam ad vatas irrita tela feras.

v a t a s N; n a t a s F; v a c u a s DV.

Baehrensius et Housmanus hic a DV proficiscendum esse rati pro v a c u a s cum Santenio n o c u a s scribunt.

Sed hoc quoque loco Neapolitanum vestigia veri melius servasse

videmus quam DV, si cum Italis vastas scribimus. Quae coniectura confirmatur comparato Prop. II. 19. 21: vastos leones, ubi Rothsteinii conferenda est adnotatio.

42. Versum 42, quo loco legatur, ineptissimum esse vix quisquam negare potest. Infra autem versus 65. 66 loco motos esse, id quod Jacobus vidit (Philol. II, p. 452), multis argumentis demonstrare possumus. Hertzbergius et Voigtius versus 65. 66 loqui de laboribus, quibus Hercules fontis aditum quaesiverit, censent; sed recte observat Otto (BphW, 1885 p. 484) sic perfecta accepit et patuit exspectari, inquit sero venire, angulus mundi adhiberi non posse de fonte. Hae difficultates omnes removentur, si cum Iacobo post 42 transponuntur versus 65. 66. Quomodo vitium irrepserit, Otto sic exponit: „Der Schreiber war von dem auf v. 41 folgenden, uns für immer verlorenen Pentameter auf den Pentameter des folgenden Distichons abgeirrt und hatte ein Distichon übersehen. Später wurde der Ausfall bemerkt und nun ein volles Distichon, bestehend aus v. 65 und dem noch einmal geschriebenen v. 42, am Rande nachgetragen, dabei aber wieder übersehen, dass der auf v. 41 folgende Pentameter noch immer fehle. Bei erneuter Abschrift geriet zuletzt das am Rande stehende Distichon an dem Anfang der Rede des Herkules". Pro versu 42 lacunae signa ponenda sunt. Ut, quid fere olim apud Propertium legeretur intelligere possemus, Francius exempli gratia: oraque tergemini conticuisse canis, Iacobus: Oceani tumidas nec timuisse minas supplevit. Mirabile dictu omnes viri docti recentiores Postgatio et Hartmano exceptis certissimam Iacobi transpositionem spreverunt.

46. ....Lybico sole perusta coma

Pro coma Fonteinius cutis, Baehrensius gena coniecit. Ad vulgatam defendendam citant interpretes Tib. I. 9. 15:

uretur facies, urentur sole capilli.

flavo crine in fuscum mutato ait Heynius; melius I. H. Vossius comam asperam et crispam sole fieri observat, cf. Hertzbergium ad hunc versum. Collato Hor. Ep. II, 41: perusta solibus uxor, quod de faciei fusco colore dicitur, Baehrensii coniectura vera videri posset, nisi v. 45 iam de vultu mentio esset facta.

50. et manibus duris apta puella fui
Iure Burmannus hunc versum valde mendosum dicit, cui Hartmanus adstipulatus est in libello cui titulus Een ander over Propertius (p. 9). Equidem non dubito, quin cum Burmanno reponendum sit:

nec manibus duris apta quasilla tuli.

Vox rarior quasilla facile in puella corrumpi potuit.

57. Magnum Tiresias aspexit Pallada vates
Magnam defendit Hertzbergius; sed sensus requirit, quod Passeratius invenit: magno i. e. magno pretio.

59. Vide nos ad, II, 16, 11.

70. + Hercule exterminium nescit + inulta sitis
Sic legimus hunc versum in NFD; v haec habet:
Herculis eximii ne sit inulta sitis;
eximii tamen languidissimum; melius S. G. Owen [1]), quem secutus est Phillimorius: Herculis exclusi ne sit inulta sitis.
Ego cum Hartmano et Rothsteinio veram duco Heinsii emendationem:

Herculis aeternum ne sit inulta sitis.

71. 72. Schneidewinus et Diltheyus (De Call. Cydippa, p. 103) 71. 73 transposuerunt post 73. 74; quibus oblocutus est Otto (BphW. 1885, p. 486.): „man hat die Partikel sic v. 74 nicht beachtet; mit diesem sic will Properz ohne Zweifel zurückweisen auf die Anrufung Sancte pater. Wir haben also in v. 73.74 eine

[1]) Alii alia cf. Bahrensii app. cr. et Housm. JPh XVI, p. 15.

nachtragliche Erklärung dieses S a n c t u s, als ob es hiesse: nam quoniam ff. Vielleicht ist sogar eben dieses Wort aus dem verderbten n u n c v. 73 zu restituieren".

Hoc tamen argumentum minime valet ad transpositionem elegantissimam atque necessariam refutandam. Est enim languidissimum poetam, postquam Deum salvere iusserit, superaddere causam, cur hoc nomine eum alloquatur.

Vocabulum s i c eo modo explicari potest, quo Rothsteinius explicuit collato II, 8. 29.

Versu 73 h u n c servo, neque cum Italis n u n c (ergo), neque cum Baehrensio h u i c corrigo.

ELEGIA X.

5. I m b u i s, quod legitur in Neapolitano — ceteri i n d u i s habent — a nonnullis corruptum habitum bene defenditur a C. Brandtio (Quaest. Propert. p. 44). Is enim enim „imbuis exemplum primae huius palmae" significare dicit: „primum exemplum huius palmae dando imbuis hanc palmam", cf. siccis oscula falle genis = siccis genis oscula dando falle.

13. L i b r a n d i verbum contra Italos, qui v i b r a n t e m coniecerunt bene tuetur Hertzberg, vid. eius adnotationem.

17. Urbis virtutisque parens sic vincere suevit

v i r t u t u m DV, v i r t u t e m F, v i r t u t i s N. Cum nihil sit cur pluralem v i r t u t u m, qui traditus est in DV, pro correctione habeamus, hic locus iis adnumerandus est, quibus DV meliorem praebent lectionem.

Namque recte Baehrensius comparavit: Cat. 68 90 Troia virum et virtutum omnium acerba cinis, ad quem locum editores citant Verg. Aen. I, 566, v i r t u t e s q u e v i r o s q u e.

18. qui tulit a porco frigida castra lare.

Pro vocabulo corrupto p o r c o, ut legunt NFDV, ingeniose emendavit Iacobus: p a r c o.

Ellisius (Journ. of Phil. XV p. 20) proposuit a prisco, quod vertit: „who from the plainness of his oldfashioned house learnt to bear the cold of the camp.” Sed non solum Iacobi coniectura meliorem sensum praebet, sed etiam Ellis proficiscitur a lectione aprico, quae in fv invenitur et ipsa sine dubio coniectura est.

20. Baehrensius annotat: „v. 20 et 22 inter se transponendi videntur (et mutato in sed?)”
Ordinem traditum bene defendit Otto (Berlin. Phil. Wochenschr. 1885 p. 486.) „Die Waffen des Romulus, inquit, glänzten nicht von eingelegtem Golde, und sein Schwertgurt war ein einfacher Riemen. Ebenso wird v. 19 durch 20 ergänzt. Die blosse Kappe als Kopfbedeckung zeigt, dass Romulus nicht Krieger von Profession, sondern ebenso gut Landmann ist”.

25. Miror, quod Postgatio (in edit. 1894) et Hartmano exceptis nemo editorum Passeratium 25. 26 ante 23 ponentem sequi ausus est. „Quis, inquit Hertzbergius, bello Veienti secundo ultra Tiberim belli sonum venisse negaverit?” Iis autem qui contra Passeratium observant Nomentum et Coram, ut docet Livius I, 38, 4; VIII, 14, 3, post Romuli demum regnum finibus Romanis addita esse respondendum est verisimilius esse Propertium ignorasse quo tempore Nomentum et Cora captae essent, quam eum vitium illud ab Hertzbergio notatum commisisse.

35. Cossus ait: forti melius concurrere campo.
Fortis campus a Rothsteinio explicatur hoc modo: „F. c. ist das freie Feld, auf dem tapfere Männer zu kämpfen pflegen”, deinde mirum hunc adiectivi fortis usum defendere vult duobus locis Horatianis comparatis Sat. I, 10, 43:

forte epos acer,
ut nemo, Varius ducit; molle atque facetum
Vergilio adnuerunt gaudentes rure Camenae.

Sat. II, 4, 24:
Aufidius forti miscebat mella Falerno,

sed in neutro loco quicquam auxilii ad nostrum tuendum; cum priore loco, quid forte epos significet, opposito molle perspicuum fiat, altero loco fortis idem sit atque fervidus. Hartmano praeeunte cum Marklando corrigo:

Cossus ait fortis melius concurrere campo.

37. di Latias iuvere manus

Pro di Latias F Romuleas servavit, quod unde venerit non liquet; sed quamquam ipsum Romuleas, quia subiectum di omitti non potest, defendi nequit, vestigia veri servasse videtur F; conicere possumus etiam in archetypo fuisse Romuleas, idque, quoniam aptum sensum non praeberet, in omnibus codicibus excepto F et D, ubi in margine legitur, coniectura mutatum esse in di Latias. Sic verum esse potest Housmani illud:

Di Remulas iuvere manus (JPh. XVI, p. 15).

Sed in re incerta lectionem di Latias servare praestat.

39. Claudius a Rheno traiectos arcuit hostes.

Collato Polybio II, 34,2: *Οἱ δ' ἀποτυχόντες* — de Gallis sermo est — *καὶ κρίναντες ἐξελέγξαι τὰς τελευταίας ἐλπίδας, αὖθις ὥρμησαν ἐπὶ τὸ μισθοῦσθαι τῶν περὶ τὸν Ῥοδανὸν Γαισατῶν Γαλατῶν* [1]) *εἰς τρισμυρίους· οὓς παραλαβόντες εἶχον ἐν ἑτοίμῳ, καὶ προσεδόκων τὴν τῶν πολεμίων ἔφοδον* pro a Rheno cum Guyeto reponere velim:

Claudius Eridanum traiectos arcuit hostes. Idem vir doctus pro cum (v. 40) recte restituit cui.

41. Utrum versu 41 cum codicibus (O) Rheno an cum Italis Brenno scribendum sit, dissentiunt viri docti. Lectionem traditam defendunt v. d. Arbois de Jubainville (Comptes rendues de l'académie, 1889, III) et Birt (RhMPh, 51, 528), quibus ego adstipulor.

---

[1]) Plutarch. in vita Marcelli, C 6, 10: *ἐκεῖθεν δὲ μυρίους τῶν Γαισατῶν ὁ βασιλεὺς Βριτόμαρτος ἀναλαβὼν τὴν περὶ Πάδον χώραν ἐπόρθει.*

42. Versum cum Passeratio lego:

mobilis e r e c t i s (N: e r e c t i) fundere gaesa rotis

Baehrensius a lectione O e f f e c t i proficiscitur, unde: e v e c t i s facit, quod si verum sit, longius tamen absit ab O quam a Neapolitano. Hoc quoque loco Neapolitanus vestigia veri optime omnium servavit.

43. illi virgatis iaculantis ab agmine bracis

torquis ab incisa decidit unca gula.

Ad hunc versum Rothsteinius habet hanc absurdam adnotationem: „illi accidit ut torquis viri virgatis bracis ab agmine iaculantis incisa gula decideret. Nachdem durch ein im Dativ stehendes Pronomen die Person bezeichnet ist, von der die Rede ist, wird sie nachher noch einmal im Genetiv eines Participiums genannt, wo auch ein sich an das Pronomen anschliessender Dativ hätte stehen können; so IV, 7. 23 at mihi non oculos quisquam inclamavit euntis". Tales adnotationes, quae contra sanae artis praecepta pugnant nihilique faciunt grammaticam, pessumdant philologiae studium, quoniam tali exemplo vitiosissima quaeque defendi atque sana haberi possunt. Bonam sententiam certe praebet ingeniosa, sed audacissima Schraderi coniectura:

illi virgatas maculanti sanguine braccas

torquis ab incisa decidit unca gula;

sed recte observat Postgatius (Praefat. ed. p. VII): „nondum incisa gula bracae sanguine maculari praepostere dicuntur". Is Lachmanno viam praeeunte locum sic edidit:

illi (ut) virgatis iaculans it ab agmine bracis,

torquis ab incisa decidit unca gula,

Sed etiam lenior emendatio Kraffertii (Beiträge p. 148):

illi virgatis iaculanti (ante) agmina bracis

torquis ab incisa decidit unca gula.

Quomodo corruptela inrepserit apparet; cum a n t e post iacul a n t i excidisset, versus e coniectura infeliciter expletus est.

45\. 46. Nunc spolia in templo tria condita: causa Feretri
omine quod certo dux ferit ense ducem

Versu 45 pro *nunc*, quod ex in NV, cum D legendum est *haec*. Versu breviore pro *omine* non restituenda Baehrensii coniectura *numine*, quae a lectione O *crimine* proficiscitur. Nam rectam explicationem vocis *omine* dat Rothsteinius; *crimine* autem ex $\overset{\text{i}}{\text{c}}$*mine* ortum esse, *omine* igitur antiquius esse docuit Housmanus (JPh. XXI p. 134).

ELEGIA XI.

Initio nostrae elegiae necessarium est versus 2 et 6 locum mutare, quod v. cl. Hartman quoque probavit in libello, cui titulus: *Een en ander over Propertius*. Unusquisque enim semel monitus videbit *preces* (v. 2) non cum *lacrimis* (v. 1), sed optime cum verbo *orandi* (v. 5) congruere; versus autem 6 *nempe tuas lacrimas litora surda bibent* pertinent ad primum elegiae versum.

8\. obserat herbosos lurida porta rogos

Haec est lectio Neapolitani, quae tamen vera esse nequit, nam quamquam vocabulum *rogos* fortasse *sepulcrum* significare potest, non licet credere poetam scripsisse: „porta orci claudit sepulcrum," praesertim cum codices DV *umbrosos* legant, quod sensum loci optime restituit, si cum Marklando *rogos* in *locos* mutamus. Totum igitur versum sic scribimus:

obserat umbrosos lurida porta locos.

9\. Sic maestae cecinere tubae.

Sic recte se habet, neque opus est cum Baehrensio: *ut* aut cum Schippersio (Observ. crit. p. 82) et Bootio (Bijdrage tot kr. en verkl. v. Prop. laatste elegie p. 26) *si* reponere.
Sic autem iam a Barthio recte explicatur: „lugubris tuba significat plane abiisse eum, cuius funus celebratur".

13. non minus immitis habuit Cornelia Parcas:

et sum, quod digitis quinque levatur onus.

Pro n o n (ND), quod Phillimorius servat, melius scribimus n u m cum FL; non tamen recte agunt qui cum Italis h a b u i corrigunt, confer v. 43:

non fuit exuviis tantis Cornelia damnum.

Pro e t versu 14, quod tuentur Postgatius et Phillimorius, scribendum est eum Italis e n.

15. damnatae noctes et vos vada lenta paludes

Saepius dubitavere critici an d a m n a t a e n o c t e s vitio deberetur: Fonteinius coniciebat T a r t a r e a e, Peerlkampius a e t e r n a e, Housmanus d a m n a t a e t e s t e s (JPh. XVI, p. 16), quod in textu prosuit Postgatius, Kan d a m n a t a e n o c t e s t e s t e s e t v o s v a d a l e n t a (Mn. IX, 1881, p. 345); sed confer Lucan. IV, 359:

neque enim felicibus armis
misceri d a m n a t a decet,

ubi d a m n a t a = a Diis damnata, tristia, infelicia.

Quod nonnulli Santenium secuti in extremo versu: v o s, v a d a l e n t a p a l u d i s scripserunt, equidem nihil mutandum esse credo: v a d a l e n t a enim appositio est, ut
Ov. Her. 9. 51: non tibi crimen erunt Teuthrantia turba sorores.

16. et quaecumque meos implicat unda pedes

Coniectura Schraderi u l v a pro u n d a refutatur Verg. Aen. VI, 438: tristi palus inamabilis unda alligat, quem locum comparavit Passeratius.

18. det pater hic umbrae mollia iura meae.

P a t e r hic non Pluto est, neque Corneliae pater (sic Postgatius Select El. p. 230), sed ipse Iupiter, ut Bootius (p. 27) vult comparans Horat.:

qui terram inertem, qui mare temperat
ventosum et urbes regnaque tristia
divosque mortalesque turbas
imperio regit unus aequo.

Sperno igitur Koppiersii coniecturam: deprecor, quae multis placuit.

hic i.e. apud inferos, iniuria mutatur in huic.

19. aut si quis posita iudex sedet Aeacus urna

aut non recte mutatur ex coniectura Nestoris in at; aut optime explicari potest: aut i.e. si poena digna sum.

21. assideant fratres iuxta, Minoia sella,
Eumenidum intento turba severa foro

Sic legit Rothsteinius cum codicibus. Fratres igitur sunt, si sic versum legimus, Aeacus et Rhadamanthus, sed Aeacum iam nominavit. Lego igitur cum Italis:

assideant fratres, iuxta et Minoida sellam
Eumenidum intento turba severa foro.

24. fallax Tantaleo corripiare liquor

Postgatius cum Aurato corrigit:

fallax Tantaleo corripere ore liquor,

sed verum est, quod Rossbergius (Luc. Prop. p. 32) commendat:

fallax Tantaleus corripiare liquor.

Hic enim recte observat optativorum, per quos procedat oratio Corneliae (vaces, taceant, corripiare, petat, iaceat), seriem media voce in corripere mutata foedissime interrumpi.

27. Cum Italis scribendum est:

ipsa loquar pro me: si fallo, poena sororum

Postgatius (Select El. p. 233) et Phillimorius iniuria loquor tuentur.

29. 30. si cui fama fuit per avita tropaea decori,

et Numantinos regna loquuntur avos

et DVL; aera vf Memmianus, Urbinas.

Editores ad unum omnes Scaligeri coniecturam *Afra* pro *aera* recipiunt, et Lachmannus *Afra* magnis laudibus extollit scribens: „vitium perantiquum a magno Scaligero felicissime sublatum". Ego tamen non credo *Afra* a poeta scriptum esse, propterea quod mihi ineptum videtur Propertium dicentem facere: *Afra* regna loquuntur de gloria Scipionis *Numantici*. Eandem ob causam Housmanus (JPh. XXII, 108) cum Baehrensio legere vult:

nostra Numantinos signa loquuntur avos,

quod tamen nimis distat a litteris traditis.

Melius est, quod Lipsius proposuit

versa Numantinos regna loquuntur avos; *versa* eversa cf. Hor. Carm. III, 25, 16, proceras manibus vertere fraxinos. *Versa regna* sunt Carthago et Numantia.

32. Non opus est cum Baehrensio pro *et en* legere.

34. vinxit et acceptas altera vitta comas

Acceptas tuetur Lachmannus, quem editores recentiores secuti sunt collato IV, 9. 49: mollis et hirsutum cepit mihi fascia pectus; sed quia *vincire* et *accipere* fere idem est, fortasse Itali manum poetae reposuerunt, cum *aspersas* scriberent. Nubentium crines aqua aspergi solebant.

35. 36. iungor, Paulle, tuo sic discessura cubili:

in lapide hoc uni nupta fuisse legar.

Futurum *legar* defendi nequit, nam iam mortua est Cornelia; coniunctivo vero non est locus. Cum Graevio lego Hartmano praeeunte: *ut* lapide hoc uni nupta fuisse legar.

Hac coniectura assumpta non iam confugiendum est ad contortam explicationem: „sic, ut nunc factum est, morte discessura", quam Bootius evitare voluit cum Huschkio: non discessura legendo.

Cur non huic uni legendum sit, docet Huebnerus (Comment. Momms. p. 99.)

37. Hoc versu Phillimorius errore fortasse ductus Italorum inutilem coniecturam verendos pro optima codicum lectione colendos in textu posuit, neque in apparatu critico annotavit verendos in O legi.

37. testor maiorum cineres tibi, Roma, colendos,
sub quorum titulis, Africa, tunsa iaces,
39. et Persen proavi stimulantem pectus Achilli,
quique tuas proavo fregit Achille domos

Hunc locum inter difficillimos habeo in Propertii carminibus obvios, nam primum errare eos mihi constat, qui textum traditum defendentes credunt Corneliam versu 39 Persen testem appellare, quod nunquam peccaverit contra legem censurae, neque enim huc quadrat Postgatii observatio, quam legimus: Select El. p. 236: „it is quite in keeping with Propertius' manner to appeal to the conquered as witnesses to the conqueror's glory". Aliquanto prudentius agunt, qui recipiunt Santenii coniecturam te Perseu; sed ne sic quidem locus sanus est, nam tum habemus constructionem contortissimam atque obscurissimam: „testor eum qui et te Perseu, et domos tuas fregit". Aliam viam ingressus est vir doctus Munro (JPh. VI, 53—62) qui distichon intercidisse putans totum locum sic constituit:

37. Testor maiorum cineres tibi, Roma, verendos
sub quorum titulis, Africa, tonsa iaces
(et qui contuderunt animos pugnacis Hiberi
Hannibalemque armis Antiochumque suis)

39. et Persen proavi simulantem pectus Achilli

quique [1]) tuas proavus fregit, Averne, domos.

Cuius coniecturas, quamquam Postgatius olim (Select El. p. 236) nimis audaces nominabat, tamen in editione 1894 recepit. Versum 39 tamen sic scribit: „et Persen proavo [2]) stimulantem [3]) pectus Achille [2])"; credit enim Silium Italicum hunc locum saepius imitatum esse:

Sil. It. XIV, 93: ... tam praecipiti materna furori

Pyrrhus origo dabat stimulos, proavique superbum

Aeacidae genus, atque aeternus carmine Achilles

XV, 291. hic gente egregius veterisque ab origine regni

Aeacidum sceptris proavoque tumebat Achille

Mihi tamen stimulantem vitio deberi videtur, quoniam tum demum versum, qualis traditus est, vertere possumus, cum Lipsii coniecturam proavo... Achille assumpsimus. Quam ob causam Italorum coniecturam simulantem recipiendam esse censeo, sed omnino Munronis et Postgatii de hoc loco opinio mihi non probabilis videtur, cum si eos sequimur gravissima vulnera hic haerere putandum sit: lacuna enim statuatur necesse est, nec non versus 40 medicina indiget. Quod autem coniectura Averne recepta de Hercule, paterno proavo Macedoniae regum, cogitant, mihi prorsus non placet Corneliam Herculem invocare testem; quid enim Corneliae cum Hercule? Neque igitur sic multum proficimus. Melius certe quod Baehrensius cum Heynio edidit:

qui Persen proavi simulantem pectus Achilli

et tumidas proavo fregit Achille domos;

cum tamen coniunctio et ante qui aegre desideretur, locum sic legere velim:

---

1) Herculem vult.

2) proavo ... Achille: Lipsius; 3) stimulantum: O.

testor maiorum cineres tibi, Roma, colendos,
 sub quorum titulis, Africa, tunsa iaces,
et qui te, Perseu, simulantem pectus Achillis,
 et tumidas proavo fregit Achille domos.

44. Cum Italis lego:

quin et eram (erat O) magnae pars imitanda domus

49. quaelibet austeras de me ferat urna tabellas

Iure negat Bootius (p. 31) Latine dici posse „urna fert tabellas de aliquo" pro „ex urna ducuntur tabellae"; praeterea unam urnam non plures, esse docet versus 19: „posita sedet Aeacus urna", recipit autem Bootius una, quod excogitavit Wijngaardenus confertque

Prop. II, 13, 44 quaevis de tribus una
Cic. Brut. 93 quivis unus ex populo

sed quivis unus tum solum dici potest si additur ex quibus unus sumatur (de tribus, ex populo). Melior igitur Eldikii coniectura umbra.

50. Pulchre emendarunt Itali:

turpior assessu non erit ulla meo

54. vel + cuius rasos + cum Vesta reposceret ignes.

Phillimorius conicit: vel cui, iuratos cum Vesta reposceret ignes, quod non intelligo; Italorum inventum commissos parum curat ductus litterarum; melior — neque tamen certa — coniectura Baehrensii, quam Postgatius recepit:

vel cui, sacra suos cum Vesta reposceret ignes.

65. 66. Hoc distichon male sententiarum ordinem corrumpere Koppiersius iure suo contendit; assentior igitur viro docto Otto (BphW. 1885, p. 486) sic scribenti: „Die Erwähnung des Bruders v. 65. 66 ist einerseits sehr störend und unpassend zwischen

die der Söhne und der Tochter eingeschoben und lässt anderseits die Vermehrung und Erhaltung der Familie völlig unberücksichtigt. Dahingegen durfte da, wo von den Klagen der Mutter und des Augustus die Rede ist, auch der Bruder nicht fehlen. Hier also war die Stelle für v. 65. 66. Gut trifft es sich, dass durch die Wiederholung des vidimus sich die Zugehörigkeit zu v. 60 auch aüsserlich dokumentiert." Neque tamen cum Ottone versum 65 sic corrigendum puto:

vidimus et fratrem sellam gemuisse curulem,

sed melius esse, quod coniecit Baehrensius:

vidimus et fratrem sella in gemuisse curuli.

Pentameter (v. 66) vulgo corruptus habetur, variaeque propositae sunt coniecturae, quarum notissimae:

consule quo factus tempore, rapta soror (Lachmannus)
consule quo, festo tempore, rapta soror (Koppiersius)

Si tamen versum post tempore (suo tempore = ad tempus) incidimus, nihil mutandum est, ut vir doctus Otto rectissime observavit.

69. 70. et serie fulcite genus: mihi cumba volenti
solvitur uncturis tot mea fata malis

Cum fata corpus mortuum significare posse, ut Rothsteinius vult collato I, 17, 11 (ubi vide nos), negemus, quaeritur, quid in pentametro legendum sit pro solvitur uncturis, quod in DVL invenitur; sed exspectamus aliquid, quod respondet primis distichi verbis: et serie fulcite genus. Optime autem distichi sententia restituitur, si cum Italis aucturis, et facta, et cum Palmerio Francogallo meis pro malis corrigimus:

76. Cum L. Muellero pro ferenda fortasse fovenda legendum.

82. somniaque in faciem credita saepe meam

in faciem credita tam insolite dictum est, ut ne a Propertio quidem tale quid adhiberi posse videatur: recte igitur cum Graevio reddita reponit Hartman.

85. Pro s e u cum Baehrensio legatur s i.

86. C a u t a non mutandum esse docet vir doctus Otto (H. 23, p. 47).

87. coniugium laudate et ferte paternum.
Verbum l a u d a t e ex versu 89 irrepsisse non sine causa conicit Hartman; durum enim hic a n t i c l i m a c a assumere, neque quicquam podest Verg. G. II, 412:

laudato ingentia rura, exiguum colito,

quem locum citat Postgatius.
Si autem l a u d a t e ex versu 89 irrepsit, quid legendum sit, incertissimum; Housmanus (JPh. XVI, p. 16) d u r a t e proposuit, quod placet.

93. Pro s e n t i r e Schraderum (Emend. C. IX, p. 183) recte scripsisse l e n i r e iam Lachmannus intellexit.

102. cuius honoratis ossa vehantur aquis
Pro a q u i s cum Heinsio a v i s restituendum esse id quod defendit Consol. ad Liviam 329 sq. non opus est me monente.

THESES.

I.

Recte contra Birtium statuit Lechner (Properzstudien, Bayreuth, 1907): 1⁰ Unsere Properz-überlieferung ist im wesentlichen vollständig und die handschriftliche Einteilung in 4 Bücher beizubehalten.

2⁰ Das Alterum besass zur Zeit des Martial eine Sonderausgabe des ersten Buches, die Monobiblos Properti neben der Gesamtausgabe.

II.

Parum recte Rothsteinius verba monobiblos Properti vertit: Propertius in einem Bande.

III.

Ov. Trist. II, 437. 438 delendi sunt.

IV.

Versus Ov. Met. VIII, 597—600 et 603—608 non, ut putat Magnus, spurii sunt, sed ab ipso Ovidio scripti dubitante quos versus in textu poneret.

V.

Notissimi versus

cum cecidit fato consul uterque pari

Ovidius scriptor, Lygdamus imitator est.

VI.

Mostell. Plaut 65. Iniuria Lorenzius versu 65 este ecfercite vos, saginam caedite verbum caedite corruptum habuit.

VII.

Errant, qui putant, ut Woltjerus in Sertis Romanis (p. 88), in prima primi libri Tibulli elegia versuum ordinem esse turbatum.

VIII.

Iniuria Kauerus (in sua editione Ter. Adelph. introd. p. 16) adstipulatus est Lessingio de Terentii Adelphorum versibus 928—945 sic scribenti: „Bei Menander fällt man den Alten mit der Hochzeit nicht beschwerlich".

IX.

Hor. Carm. Saec. 49 sqq. cum Peerlkampio sic legendi sunt:

q u i q u e vos bubus veneratur albis
clarus Anchisae Venerisque sanguis,
i m p e r e t bellante prior, iacentem
lenis in hostem.

X.

Hor. Sat. I 3,20: Nullane habes vitia? Immo et fortasse minora. Cum Mureto pro e t legendum h a u t.

XI.

Caes. B. G. I, 11,4: Eodem tempore (atque) Aedui Ambarri necessarii et consanguinei Aeduorum Caesarem certiorem faciunt sese depopulatis agris non facile ab oppido vim hostium prohibere. Inserui a t q u e.

XII.

Recte statuit Cartaltius (Tibulle et les auteurs du Corpus Tibullianum p. 99): „l' élégie, telle que l'ont conçue les poètes du siècle d'Auguste, n'a point son équivalent dans la littérature grecque".

XIII.

Eurip. fragment 830: *τίς δ οἶδεν εἰ ζῆν τοῦϑ ὃ κέκληται ϑανεῖν,*
τὸ ζῆν δὲ ϑνήσκειν ἐστί; πλὴν ὅμως βροτῶν
νοσοῦσιν οἱ βλέποντες, οἱ δ᾽ ὀλωλότες
οὐδὲν νοσοῦσιν οὐδὲ κέκτηνται κακά

Pro *ὅμως* legendum est *ὅσον.*

XIV.

Soph. Ant. Schol. 61: *ἀλλ' ἐννοεῖν χρὴ τοῦτο μέν· πρῶτον μὲν ὅτι ἀσθενεῖς ἐσμὲν ἐκ φύσεως καθὸ γυναῖκες, ἔπειτα καὶ ὑπὸ τῆς τύχης ἀσθενέστεραι καθὸ + ἀσθενέστεραι.*

Pro *ἀσθενέστεραι* legendum: *ὑπὸ κρεισσόνων ἀρχόμεναι.*

XV.

Plut. Pyrrh. XXI: *δεινοὺς περὶ τὰς σαρίσας τῶν ξιφῶν ἀγῶνας εἶχον, ἀφειδοῦντες ἑαυτῶν καὶ (πρὸς) τὸ τρῶσαι καὶ καταβαλεῖν ὁρῶντες, τὸ δὲ παθεῖν εἰς οὐδεν τιθέμενοι.*

Vides, quid suppleverim.

XVI.

Thuc III, 40, 4. *εἰ δὲ δὴ καὶ οὐ προσῆκον ὅμως ἀξιοῦτε τοῦτο δρᾶν, παρὰ τὸ εἰκός τοι καὶ τούσδε ξυμφόρως δεῖ κολάζεσθαι ἢ παύεσθαι τῆς ἀρχῆς καὶ ἐκ τοῦ ἀκινδύνου ἀνδραγαθίζεσθαι.*

Pro *κολάζεσθαι* repono *κολάζειν.*

XVII.

Thuc. V, 87. *εἰ μὲν τοίνυν ὑπονοίας τῶν μελλόντων λογιούμενοι ἢ ἄλλο τι ξυνήκετε ἢ ἐκ τῶν παρόντων καὶ ὧν ὁρᾶτε περὶ σωτηρίας βουλεύσοντες τῇ πόλει, πανοίμεθ' ἄν.*

Iniuria Vollgraffius (Mn. 33, p. 64) coniecit *λογιούμενοι μᾶλλον ξυνήκετε κ.τ.λ.*; nihil mutandum est.

XVIII.

Thuc. VI, 20: *τό τε πλῆθος, ὡς ἐν μιᾷ νήσῳ πολλὰς τὰς Ἑλληνίδας.* Non inserendum est *καὶ* ante *τὰς Ἑλληνίδας* auctore Vollgraffio (Mn. 33, p. 430) cum *τὰς Ἑλληνίδας* interpolatoris sit.

XIX.

Iniuria contendit Cauerus (Grundfragen der Homerkr^2. p. 492) verba *ὣς Ϝειπὼν Ϝ' ἐν χέρσ' ἐτίθει* (A 446) non apte adhibita de virgine adulta patri reddita („von der Rückgabe eines erwachsenen Mädchens gesagt allzusehr *καταχρηστικῶς*").

XX.

Apud Theocr. Thalys. v. 46 non ***Εὐρυμέδοντος***, quod edit Hiller, sed *Ὠρομέδοντος* legendum.

XXI.

Recte contendit vir d. Deknatel (De Vita M. Licinii Crassi, L. B. Brill) M. Licinium Crassum praecipuum machinatorem Ciceronis exilii fuisse.

XXII.

Iniuria putat Wilamowitzius (Aristot. u. Athen. I 263, 7, II, 99, 35) Aspasiam Periclis uxorem *ἑταίραν* fuisse.

XXIII.

Soltavio (Die Anfänge der Römischen Geschichtschreibung, p. 21) assentiendum est quae de Romulo narrentur ex Tyro, Sophoclis tragoedia hausta esse.

XXIV.

Reicienda est opinio Bethii (Proleg. zur Gesch. des Theaters, p. 51) in choris comicis antiquitus actores specie humana esse inductos.

XXV.

Non versimile est quod putat Wachsmuth collato Polybio VI, 45 Ephorum in opere suo narrasse Lacedaemone olim exstitisse *γῆς ἀναδασμόν* agrumque publicum inter cives in aequas partes divisum fuisse.

XXVI.

Iniuria censet Peter (die Quellen Plutarchs in den Biographien der Römer) Plutarchum in vita Pompeii Cap. I-XV quae narret haurire ex scriptore aliquo Caesariano.

CORRIGENDA:

Pag. 19	linea	6	post:	nisi excidit ὑπόκειται		
„ 20	„	23	pro:	mode	lege:	modo.
„ 21	„	17	„	quas	„	quae.
„ 27	„	17	„	funus	„	funis.
„ 39	„	19	„	watchfut	„	watchful.
„ 43	„	20	„	aber	„	über.
„ 151	„	3	„	coniunctam	„	coniunctum.
„ 155	adn. linea	1	„	interpretatio	„	interpretationem.
„ 156	linea	1	post:	interit ponatur: [1]);		
„ 156	„	2	pro:	Raro [1])	lege:	Raro [2])
„ 156	„	19	„	emendatio [2])	„	emendatio [3])
„ 190	„	14	„	divendendam	„	dividendam.
„ 207	„	8	„	omittet	„	omittit.
„ 224	„	12	„	infinitivum	„	infinitivus.
„ 224	„	13	„	eum	„	cum.
„ 304	„	25	„	editore	„	editione.

ADDENDA:

II, 13, 12. Pro pueris (N F V), quod edit Phillimorius, cum D scribendum est puris.

II, 20, 24. Pentameter scribatur: non numquam (et) lecti copia facta tui.

II, 28, 9. Pro non (N) cum D F L scribendum num.

IV, 9, 5. Pro quoque cum Italis legendum quaque.

Ex erroribus inventis postquam liber meus typis impressus est eligo eos qui legenti molesti esse possint:

Pag.		linea		pro		legatur	
Pag.	X	linea	ult.	pro	N	legatur	V
„	2	„	7 a. f.	„	hius	„	huius.
„	15	„	9	„	Merillius	„	Merrillius.
„	21	„	23	„	Die	„	Du.
„	22	„	6 a. f.	„	105	„	405.
„	36	„	5	„	corruptum	„	corruptam.
„	38	„	12	„	empfindes	„	empfindens.
„	60	„	9	„	nullo	„	nulla.
„	61	adn.²) addatur: cf. Klotz, Jahns Archiv 13 Bd. (1847), p. 320.					
„	62	linea	13	pro	argumenten	legatur	argumentum.
„	64	„	16	„	deputationes	„	disputationes.
„	67	„	9	„	regimum	„	remigum.
„	74	„	17	„	leviorem	„	leniorem.
„	81	„	2	„	marcidas	„	marcidus.
„	93	„	7	„	Vergansenheit	„	Vergangenheit.
„	115	„	7 a. f.	„	Eudymion	„	Endymion.
„	122	„	5 „	„	prossessed	„	possessed.
„	126	„	3	„	misere	„	miserere.
„	140	„	15	post	any	inseratur	one.
„	147	„	10	pro	disputantum	legatur	disputantem.
„	151	„	5	„	habere	„	haberi.
„	152	„	ultima		editone	„	editione.
„	156	adnotatio²)		„	sic quoque Hartman	„	sic Hartman quoque.
„	160	linea	6	„	Schadero	„	Schradero.
„	161	„	6 a. f.	iniuria Palmerum scripsisse dixi: et qui movistis duo montes; coniecit Palmer: et qui movistis montis duo.			
„	162	adnotatio²)	legatur: Sic Mueller quoque scribit.				
„	167	linea	5	pro	quaere	legatur	quaerere.
„	„	„	11	„	revere	„	revera.
„	175	„	8	„	737	„	837.
„	„	„	16	„	autum	„	autem.
„	178	„	18	„	preferendum	„	praeferendam.
„	187	„	12	„	Aphroditem	„	Aphroditam.
„	„	„	15	„	Schaderus	„	Schraderus.
„	„	„	ultima	„	foll	„	soll.
„	193	„	19	„	anteferram	„	anteferam.
„	196	„	18 a. f.	„	proper	„	propter.
„	203	„	10	„	trough	„	through.
„	214	„	14	„	II, 13, 16	„	II, 9, 15.
„	221	„	7	„	coniecturam	„	coniectura.
„	„	„	12	„	127	„	187.
„	222	„	12 a. f.	„	teneras	„	teneris.
„	224	„	1	„	sextis	„	sectis.
„	232	„	15	„	mane	„	many.
„	„	„	3 a. f.	„	vertat	„	versat.
„	244	„	11	„	coniunctio	„	coniunctionem.
„	245	„	12	„	rationis	„	rationes.
„	246	„	5	„	Sciapiadae	„	Scipiadae.

Pag. 248	linea	2	pro	melius	legatur	melior.
„ 252	„	11	„	Postgatius cum Heinsio	„	Housmanus.
„ 259	„	7	„	sine	„	eine.
„ 263	„	10	„	Guyto	„	Guyeto.
„ „	adnot.		„	sic quoque Postgatius	„	sic Postgatius quoque.
„ 269	linea	10 a. f.	„	venundate	„	venundata.
„ 270	„	14	„	causa	„	cause.
„ 276	„	11	„	alienus	„	alieno.
„ 278	„	6	„	restituenda	„	restituendum.
„ 279	„	7	„	Romana	„	Romanae.
„ „	„	8 a. f.	„	quae	„	quod.
„ 304	„	12	„	vera	„	verum.
„ 307	„	8 a. f.	„	Zingerlingium	„	Zinzerlingium.
„ 338	„	11	„	Rothsteinii	„	Rothsteinius.
„ 340	„	4 a. f.	„	II, 26, 11	„	II, 16, 11.

„ 343 cum meam ad vs. 24 scribebam adnotationem, nondum legeram quae vir clarissimus Postgate ingeniose, ut solet, disputat Philol. Soc. 1882, „Some Latin Etymologies". Nunc ab eo per litteras admonitus lego: lucus ubi umbroso fecerat orbe nemus (= where the sacred trees had made a nemus with their ring of shade.)

„ 346	linea	6	pro	73	legatur	72.
„ 356	„	ultima	„	stimulantum	„	stimulantem.

Praeterea aliquot locis non recte scripsi Hoefftius pro Hoeufftius, Liveneius pro Livineius.

UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
3 0112 056090381